



Handwritten scribbles at the top of the page.


Handwritten scribbles in the upper left quadrant.

Handwritten scribbles in the upper right quadrant.


Handwritten scribbles at the bottom of the page, including a fraction-like structure.













CHRISTOPHORI CELLARI  
SMALCALDIENSIS  
NUCLEUS  
HISTORIAE

*inter*

*Antiquam & Novam*  
MEDIÆ,

*Hoc est,*

Ab Augusto Cæsare ad  
Carolus M. in Occidente: & ad  
captam a Turcis Constantino-  
polim in Oriente  
productæ,

*Cum*

*Notis perpetuis*  
&  
*Tabulis Synopticis.*

---

JENÆ,

Impensis JOHANNIS BIELCKII Bibliop.  
Excudebat SAMUEL Krebs/  
ANNO MDC LXXVI.



CHRISTOPHERUS  
SMALCALDENSIUM  
MILITUM  
HISTORIA  
Ab Augusto Caesare  
Carolus M in Occidentibus  
captus a Turcis Constantinopoli  
positus in Orientibus  
productus  
L. 1. 1. 1.  
L. 1. 1. 1.  
L. 1. 1. 1.  
L. 1. 1. 1.







ILLUSTRI ET GENEROSISSIMO  
DOMINO,  
DN.

VITO LUDOVICO

a SECKENDORF,  
in Oberzenna / Gumperta &  
Mödelstein/

Potentissimi ELECTORIS Sa-  
xonæ in sanctiore Consilio Sena-  
tori: & Serenissimo Dn. MAURITIO  
Sax. Duci, & Numburgici Episcopa-  
tus Administratori &c, a Consiliis  
universis, etiam Cancellario atque  
in Sacro Synedrio Præsidi, undi-  
quaque Eminentissimo,

*meo Musarumque Patrono  
incomparabili,*

FELICITATEM!

A 2

Illu-



Illustris & Genero-  
sissime Domine, Patrone  
Optime, Maxime,

**V** *omnis stu-  
dii, operæ at-  
que laboris  
mei; sic hujus  
quoque lucubrationis  
rationem Illustri Ex-  
cellentiaæ Tuæ redde-  
re officium me pietas q̄  
jubet. Annus ferme  
circumagitur, ex quo  
Nucleum Historiæ  
Antiquæ scripsi, ut li-  
tera-*



terarum incremento,  
præsertim scholasticis  
studiis, consultum  
irem, & compendio ad  
Classicos Scriptores  
legendos adducerem.  
Videbam enim &  
multis documentis in-  
telligebam, Historiæ  
ignorationem in pri-  
mis esse, quæ adole-  
scentes vel deterreat  
prorsus, vel saltem re-  
tardet & impediât,  
quo minus alacres  
optimorum Aucto-



rum cursum aut ine-  
ant illi, aut hi absol-  
vant. Etsi enim scho-  
larum alumni non  
tam rerum seriem,  
quam latinitatem &  
stilum in animo ha-  
bent, cum Historicis se  
legendis accingunt:  
vix tamen quisquam  
nesciet, verba ita lu-  
cem rebus foenorari, ut  
subinde ex iis mutuo  
explicari illustrariq;  
expetant. Hinc igitur  
vel tædio abstergen-  
do,



do, vel obstaculo re-  
movendo intentus e-  
ram, cum nucleum il-  
lum ex duris putami-  
nibus eruerem, id est,  
compendiariam Hi-  
storiæ antiquæ syno-  
psin exhiberem, qua,  
quantum ad rerum  
notitiam pertinet, vi-  
am stravisse videor  
optimis Auctoribus le-  
gendis, puta Nepoti,  
Vellejo, Livio, Curtio,  
Floro, Justino &c.  
etiam ipsi eloquentiæ



patri Ciceroni. Verum  
quamvis optimi hi sint  
& facile principes la-  
tinitatis magistri: ta-  
men haud negligendi  
sunt Tacitus, Sueto-  
nius, uterque Plinius,  
Aurelius Victor uter-  
que, Eutropius, Am-  
mianus Marcellinus  
& reliqui Augustæ  
historiæ conditores, ut  
vel confirment subli-  
mioris iudicii elo-  
quentiam, quod Taci-  
tus & Plinius junior

cum



cum primis præstant;  
vel decrescentis Lin-  
guæ differentiam,  
quod ex Ammiano &  
ceteris videre licet, an-  
te oculos proponant.  
His etiam ut facem  
præferrem, meditat-  
us sum continuationem  
antiquæ Historiæ, nec  
vero illam ad nostra  
deduxit tempora, quod  
cum prolixior videba-  
tur res esse, tum scopo  
de Classicorum lectio-  
ne minus accommo-  
data,



data, tum denique ab  
Amplissimo Sagitta-  
rio, celebri Fenensium  
Professore, quæ inta-  
cta reliqui, succincte  
pleraque vel tradita  
nuper sunt, vel hoc  
tempore traduntur.  
Quousque igitur in  
Latia invenire potui,  
qui Latini scriptoris,  
non vero novissimi,  
tueri nomen possit,  
persecutus sum adus-  
que Paulum Diaco-  
num, illum *Warne-*  
*fredi*



fredi filium, qui Ca-  
roli Magni tempora  
quam proxime con-  
tingit. Cum vero Græ-  
cia sequenti etiam  
tempore Auctores ge-  
nuerit non proleta-  
rios, Cedrenum, Zo-  
naram, Nicetam, Gre-  
goram, Agathiam,  
Theophylactum Si-  
mocattam, Ducam,  
Chalcocondylem &c.  
ad horum ætatem, &  
ultra quam in Lati-  
no progressus eram,



Orientis imperium  
continuavi, præser-  
tim quod insignes pe-  
riodi sunt, quarum al-  
tera Occidentis impe-  
rium per barbaros e-  
versum restauravit.  
Carolo M. auspice; al-  
tera Græcum evertit  
ita, ut spes quoque re-  
stitutionis sit omnis  
extincta. Vides sic,  
Illustris Domine,  
quod Auctorum le-  
ctioni, quos Classics  
vocant, in primis con-

sub-



sultum voluerim: si  
vero Historiæ etiam  
fructus percipietur  
inde, qui ultra cancel-  
los scholæ evagari  
possit, maxime, quod  
mihi congratuler, ha-  
biturus sum. Notas  
& commentationes  
subjeci, quæ non fi-  
dem tantum faciant,  
dum cujuslibet rei  
scriptorem æqualem,  
aut qui proximus fu-  
it, exhibent; sed sub-  
inde etiam declarent,



si quid obscurum ha-  
beat concisa nostra  
brevitas. Denique  
Synopticas Tabulas  
apposui non modo ea-  
rum rerum, quæ stilo  
continuo enarratæ e-  
rant, sed Parthici et-  
iam, Persici restaura-  
ti, Gothici, Vandalici  
& Longobardici re-  
gnorum, quæ utram-  
que paginam faciunt  
in Romana historia,  
nec vero obvium faci-  
le est, quo tempore,  
quo-



quoque ordine quisque  
illorum Regum re-  
gnaverit, aut quibus  
gestis rebus nomen  
famamque adeptus  
sit. Si quid dubiæ fidei  
etiam in Tabulis vi-  
deri poterat, quod in  
Notis vel ipsa Histo-  
ria illustratum non  
erat; auctoris testi-  
monio, cui maxime  
fidebam, etiam illud  
comprobavi, quod sa-  
tis, spero, me iis ex-  
cusabit, qui mirabun-  
tur



tur forsā, me alium,  
quam Cl. Schickardi  
in Tarich, Regum  
Parthorum Persa-  
rumque cum nume-  
rum, tum ordinem ob-  
servasse. Etenim ad-  
duci non poteram, ut  
propter libellum Tur-  
cicum, eumque oppido  
recentem, tot Græcos  
Latinosque scripto-  
res & tanto consensu  
conspirantes de ponte  
dejicerem, præsertim  
cum ex iis non desint,  
qui,



qui, quod Agathias  
Scholasticus, quem  
potissimum secuti su-  
mus, de seipso in fine  
lib. IV. asseverat, ἐν  
τῶν Περσικῶν βιβλίων μετα-  
ληφθέντα nobis relique-  
rint. Habes sic, Ge-  
nerosissime Domi-  
ne, rationem instituti  
mei. Quare vero Il-  
lustri Nomini Tuo  
hanc lucubrationem  
inscripserim, nunc  
quoque declarandum  
mibi aut excusandum  
potius



potius videtur. Tuis  
auspiciis, sia Divinis  
fatis & Serenissimi  
Principis Clementia  
discessero, Scholæ e-  
jusmodi præfectus  
sum, quæ Tuis maxi-  
me consiliis atque cu-  
ris regitur. Cui ergo  
potius, quam TIBI  
meam industriam hu-  
mitemque observan-  
tiam probarem? præ-  
sertim cum benignissi-  
me me iterum excepe-  
ris, sapientissimisque  
ser-



sermonibus tantam  
alacritatem addide-  
ris, ut nunc demum  
TE duce ad vera Mu-  
sarum penetralia, re-  
gendæq; Scholæ peri-  
tiam pervenire posse  
confidam. Id vero de-  
terrere me poterat, ne  
libellum splendidissi-  
mo Tuo Nomine nun-  
cuparem, quod brevis  
ille & omnino indi-  
gnior est, quam ut  
tam illustre decus præ-  
se ferre possit. Fateor  
diu



diu hæc obstitisse con-  
siliis meis: sed erexit  
me tandem incompa-  
rabilis humanitas,  
quam summis virtu-  
tibus Tuis interluce-  
re permittis, eaque  
omnes non Tui solum  
ordinis, sed sequioris  
etiam, mirandum in  
modum exsuperas.  
Hac si mihi, ut hæte-  
nus licuit, in posterum  
quoque frui licebit,  
non deerit mihi Pa-  
tronus, in cuius tute-  
la



la quiescere Musæ me-  
æ, & ad majora adspi-  
rare possint. Hæc in-  
credibilis Tua comi-  
tas facit etiam, ut bre-  
vioribus verbis obte-  
ster atque obsecrem,  
quo libellum hunc pa-  
trocinio Tuo accipias,  
atque auctoritate  
Tua summa defendas.  
Tanta mihi Tuæ bo-  
nitatis est fiducia ô  
- - Mæcenas, mearum  
Grande decus colu-  
menque rerum.

Vale,



Vale, Patrone Maxi-  
me, & in rei publicæ  
stabilimentum, in li-  
terarum incremen-  
tum, in meum meo-  
rumque solatium diu  
quam felicissime age.

Illustri Nomini Tuo

Cizæ Idibus Juliis  
M DC LXXVI.

*devota subjectione*

*addictissimus*

M. CHRISTOPHORUS CELLARIUS.

RES





RES GESTÆ  
SECULO CHRISTIANO I.

**R**omanæ monarchiæ  
fundamenta jecit Cæ-  
sar JULIUS, quamvis fru-  
ctum ejus capere invidia  
suorum *a)* non potuerit. Octavius vero  
AVGVSTVS apud Actium *b)* victor  
stabilivit imperium & successoribus  
firmum reliquit adjecta Ægypto, *c)*  
Cantabria, Aquitania, Dalmatia &  
Rhætia, *d)* & sine bello Armenia *e)* re-  
cuperata, felix in omnibus imperator,  
nisi quod tres legiones Quintilio Varo  
proprætore in Germania *f)* amisit. An-  
te hanc cladem censum egit Romani  
orbis, missis in provincias clarissimis  
viris

---

*a)* Vellej. Paterc. 2.56. *b)* promontorium  
est Epiri, ad quod prælio commisso Antonius  
& Cleopatra victi sunt. *c)* Sueton. Augusto  
c.18. *d)* ibidem c.21. *e)* ibidem. *f)* Sue-  
ton. August. 22.



viris extra ordinem, g) & in Syriam quidam Quirinio cum imperio census habendi, quo tempore præses ordinarius Sentius erat h) Saturninus. Sic fatiis propitiis factum est, ut Dei mater Bethlehemum veniret census causa, & ibi in lucem ederet orbis Servatorem, & ipsum Romano censui, i) sed nostri causa, obnoxium.

**3** Augusto Nolæ mortuo TIBERIUS ex Livia privignus successit homo subdolos & crudelis simulans ea se velle, quæ

g) Dion Cassius lib. 56. f. 674. ἐπεμψεν μισθὸν ἄλλοις ἀλλοῖς, tam privatas, quam publicas fortunas ἀπογραφόμενος descripturos: & Suidas Tom. 1. in voce ἀπογραφὴ f. 362. ex veteri scriptore tradit, Augustum εἰργασθὲν ἄνδρας τὴν ἀείψας τὸν βίον καὶ τὸν χρόνον viginti viros morum integritate conspicuos ad has ἀπογραφὰς seu descriptiones faciendas elegisse. h) Tertullianus adversus Marcionem lib. 4. c. 7. *Archiva Romana ait custodire censum Augusti, testem fidelissimum Dominicae nativitatis: & cap. 29. census, inquit, constat actos sub Augusto nunc in Judæam per Sentium Saturninum &c. ubi Casaubonus p. 105. Exercitat. annotat, PER poni Tertullianice pro ἐπι Σουλῆς, aut præsidem agente Sentio &c. i) Orosius fin. lib. 6. Tunc, inquit, natus est Christus: Romano censui statim adscriptus est.*



quæ nollet; *k*) quasi infensus, quibus consultum cupiebat: his vero, quos oderat, quasi benevolus apparens. Archelaum Cappadocem *l*) regno multavit: ægre vero imperii fines contra barbaros *m*) defendit Armeniam Parthis, Mœsiam Dacis, Pannoniam Sarmatis, Galliam Germanis diripientibus. Hujus XII X. anno per Judææ procuratorem *n*) Pontium Pilatum supplicio affectus est DEI Filius, de cujus miraculis cum Cæsari Pilatus perscripsisset, ad Senatum ille *o*) retulisse dicitur, ut Christus in Deorum numerum reciperetur, quamvis consecrationem Senatus recusaverit. Morte ejus sic lætatus est populus, ut pars *Tiberium* *p*) in *Tiberim* clamitarent, pars unicum & Gemonias *q*) cadaveri minarentur.

B

Suc-

*k*) Verba sunt Epitomæ Victoris §. 7. Confer Tacitum 4. 71. 3. Dionem 57. princip. *l*) Sueton. 37, Eutrop. 7. 43. *m*) Sueton. 41. Epitom. Victoris 8. *n*) Tacitus 15. 44. 4. *o*) Tertullianus Apologet. fol. 816. Orosius lib. 7. cap. 1. & 2. *p*) Sueton. 75. *q*) scil. *scalas*, ad quas unco trahabant damnatorum corpora, ut inde dejicerentur, Suet. Tib. 61. Tac. H. 3. 74. 5.



Successit ei Cajus Cæsar cognomen-  
 4 to CALIGVLA, filius Germanici &  
 Agrippinæ, neptis Augusti, superbus,  
 libidinosus & ita crudelis, ut haud va-  
 no Tiberii præfagio dictus fuerit r) *na-  
 trix reipublicæ*, siquidem optasse dici-  
 tur, ut unam cervicem s) *populus*  
 Rom. haberet, & crebro illud tragicum  
 jactasse: *oderint, dum metuant*. Tandem  
 cum non integro quadriennio impe-  
 rasset, in palatio à conjuratis interfe-  
 ctus multis vulneribus fuit.

Post hunc Tiberius CLAVDIVS,  
 Drusi, Tiberii fratris, filius, stolidus &  
 libertorum t) *servus* imperavit, reli-  
 quam Mauritaniam u) *perdomuit* &  
 provinciam fecit, in Britannos quoque  
 secundus a Julio per Cn. Sentium & A.  
 Plotium x) *expeditionem suscipiens*.  
 Hujus successor NERO Claudius, ne-  
 pos Caligulæ, primo quinquennio y) *prin-*

---

r) Sueton. cap. 11. s) idem cap. 30. t)  
 Sueton. in Claud. c. 28. u) Dion lib. 60. f. 770.  
 Tunc primum divisa fuit in *Cæsariensem* &  
*Tingitanam*. x) Eutropius 7. 50. y) unde  
 Trajanus dicere solitus, *procul differre cunctos*  
*prin-*



SECULO I.

principis non mali speciem præ se tulit, postea tanta sævitia atque libidine astuans, ut humanitatem exuisse omnem videatur. Fratrem enim, uxorem, z) matrem & præceptorem Senecam a) interfecit, Urbem quoque incendit, ut imaginem ardentis Trojæ b) cerneret. Interim quæ ipse fecerat, Christianis incendia c) objiciebat, ferro, flammis & ferarum laniatu d) in ipsos sæviens, quæ prima fuit ex atrocibus primæ Ecclesiæ persecutionibus.

Cum vero contra rebelles Judæos Vespasianum misisset, Sergius GALBA Hispaniæ Tarraconensi præfectus imperium invadit Nerone e) sibi ipsi manus inferente. Galbam septimo mense confecit OTHO, f) hunc VITELLIVS trimestrem principem devicit a

B 2

Ger-

*principes Neronis quinquennio, Aurelius Victor in Nerone. Provincias hoc tempore fecit Pontum Polemoniacum & Alpes Cottias, Sueton. c. 18. z) Sueton. 34. 35. Eutrop. lib. 7. §. 57. a) Tacitus 15. 61. Suet. 35. b) Sueton. 38. Eutropius lib. 7. §. 57. c) Sulpitius Severus l. 2. c. 29. ex Taciti 15. ann. c. 44. d) Tacitus c. 1. e) Suet. 49. f) Suet. in Galba c. 19.*



Germanicianis exercitibus g) imperator delectus. Vitellium vita pariter & imperio per præmissos duces VESPASIANUS b) exuit, quem bello Judaico occupatum tam Pannoniæ Moesiæque, i) quam Syriæ exercitus ad rempubl. capessendam instigarant.

Mentione Judæorum facta pretium operæ erit eorum res & clades altius repetere. Cum Pompejus Mithridate victo victricibus armis orientem percurreret, Judæis præerant Joannis Hyrcani filii, Aristobulus & Hyrcanus, de principatu fraternis discordiis atrociter dimicantes. Causa Pompejus cognita Hyrcanum principem Judæis dedit: k) Aristobulum vero catenis vinctum Romam misit. Postea Julii Cæsaris in Ægypto victoris indultu Antipater Ascalonita l) dynastiam quandam Syriæ & Judææ impetravit, filiis-

---

g) Sueton. in Othone c. 8. & Vitellio c. 8.  
 b) Suet. Vespas. 7. i) idem in Vitellio 15.  
 k) Florus 3. 5. 30. Appianus in Mithrid. fol. 155. Græc. l) Josephus B. J. lib. 1. cap. 8.



filiisque Herodi & Phasaëlo reliquit, quos cum graviter Aristobuli filius evocatis Parthis *m*) affligeret, Herodes Romam conquestum profugiens Antonii ope Rex Judæorum *n*) a Senatu appellatus est. Antigonus vero, qui interea rerum potiebatur, expugnatis Hierosolymis *o*) captus fuit, & Antiochiæ Antonii jussu *p*) securi percussus.

Herodi Augustus *q*) regnum confirmavit, quo superbe & crudeliter usus foedo tandem morbo *r*) ex vita excessit.

B 3

fit.

*m*) idem cap. 11. *n*) Josephus Antiq. Jud. lib. 14. c. 26. *o*) Joseph. ibid. c. 25. Capta vero ab Herode Hierosolyma vi & multo labore, & sævitum in victos, præsertim ab auxiliis Romanis. *p*) idem Antiquit. Jud. lib. 15. c. 1. Primus Romanorum Antonius, quod Strabo apud Josephum observat, ἔδοξε βασιλέα πελευκίταις *videtur regem securi subjecisse*, persuasus πολλοῖς χρήμασι ab Herode, lib. 14. in fin. *q*) Josephus Antiq. Jud. lib. 15. c. 10. *r*) idem A. J. lib. 17. c. 8. Fœditas morbi hæc erat: ἐπιθυμία δεινή τῆς δέξασθαι insatiabilis voracitas: ἑλκώσις τῶν ἐντέρων exulceratio intestinorum: φλέγμα ὑγρὸν καὶ τὰς πόδας καὶ διαγωγὴς tumor pedum humidus & pellucidus: & τῆς αἰδοῖς σήψις σκώληκας ἐμποῖσα putredo verendorum vermiculos generans.



fit. Hujus filiis ita regnum Augustus  
 divisit, *f*) ut Philippum Batanææ, Tra-  
 chonitidi & Auranitidi; Herodem vero  
 Antipam Galilææ & Perææ tetrarcham  
 daret: majorem vero natu Archelaum  
 præficeret Judææ & Samariæ ethnar-  
 cham, quem post novem annos accu-  
 satum crudelitatis *r*) Viennam Gallia-  
 rum urbem relegavit Judæâ in provin-  
 ciæ formam redactâ. Tunc a procura-  
 toribus *u*) Cæsaris illam regi cœptum  
 est. Interea Antipas Herodes tetrar-  
 chiam, quam acceperat, regens Joan-  
 nem Baptistam Machærunte captiva-  
 tum capite truncavit a Cajo Cæsare  
 tandem in exilium *x*) ejectus. Agrip-  
 pas vero Major, quem Actus Apostoli-  
 ci etiam Herodem *y*) vocant, a Cajo  
 Cæsare rex tetrarchiæ Philippi appel-  
 latus, a Claudio ditionibus ceteris avi  
 sui

---

*f*) divisio illa habetur in Antiq. Jud. lib. 17.  
 cap. 13. *r*) Antiq. Jud. 17. cap. ult. *u*) i-  
 dem Josephus Antiq. 18. c. 1. *x*) scilicet  
*Lugdunum Gallia*, Josephus Antiq. 18. cap. 9.  
 adde Eusebium 2. 4. licet idem Joseph. 2. B.  
 Jud. cap. 16. in Hispaniam relegatum scribat.  
*y*) Act. 12. 1.



SECULO I.

fui Herodis Magni z) auctus Jacobum occidit, & immensæ superbix ac Deitatis affectatæ pœnas a) dedit. Tunc iterum in Judæam missi sunt b) procuratores, ex quibus fuerunt Felix c) & Festus, apud quos causam dixit d) Paulus Apostolus; & tandem Gessius Florus, sub quo exortum est e) bellum Judaicum; quo Vespasianus Galilæam & Judæam perdomuit, Titus Hierosolymã delevit, uterq; de Judæis f) triumphavit.

Sed ad VESPASIANUM revertimur principem mitem, affabilem & in artium professores g) insigniter liberalem, qui, quamvis pecuniæ b) ex rebus

B 4

bus

z) Josephus Antiq. 19. 4. a Cajo antea etiam acceperat ditionem relegati Herodis Antipæ, Antiq. 18. 9. Bell. Jud. 2. 16. a) Act. 12. v. 22. 23. Dicitur vero hic Herodes Agrippas Major ad differentiam Minoris & filii Agrippæ, primum Chalcidis in Syria reguli: deinde pro Chalcide tetrarchiam Philippi cum Abilene à Claudio accipientis, Joseph. Antiq. 20. c. 5. de quo Agrippa Act. 25. 13. videatur. b) Joseph. Antiq. 19. in fine. c) Sueton. Claud. 28. d) Act. 24. & 25. e) Tacit. hist. 5. 10. f) Suet. Tito 6. g) Suet. Vesp. 18. b) ibid. c. 16. & 23.



bus etiam parum honestis conquiren-  
 dæ avidior esset, bonus tamen vel ideo  
 habetur, quod optimum reliquit suc-  
 cessorem, TITUM scilicet filium, illas  
 11 delicias *i)* humani generis, qui diem  
 absque beneficiis *k)* perdi putabat, nec  
 ullum ab imperatore tristem dimitti o-  
 portere. Sed brevis, nempe biennii  
 tantum fuit felicitas, quam hoc pejora  
 tempora exceperunt, quo dissimilior  
 fuit Tito frater & successor DOMITIA-  
 12 MUS, fævus, superbus, uno edicto  
 Philosophos *l)* urbe & Italia expellens:  
 in primis Christianorum hostis infer-  
 tissimus, qui Joannem Apostolum in  
 insulam Pathmum relegavit, cetera  
 de Dacis & Germanis falsum trium-  
 phum *m)* egit, & veræ Julii Agricolaë  
 gloriæ Britanniam subjugantis *n)* invi-  
 dit. Huic occiso post XV. annorum ty-  
 rannidem, & ignominiosissime *o)* se-  
 pulto

*i)* Eutropius lib. 7. §. 90. *k)* Sueton. in Ti-  
 to c. 8. *l)* Sueton. in Domitiano c. 20. *m)*  
 Tacitus in Agricola cap. 39. §. 2. *n)* Tacitus  
 c. 1. *o)* *funus*, inquit Eutropius sine lib. 7.  
*sum ingenti dedecore per Vespillones exporta-*  
*tum*



pulto successit NERVA Trajanus ad- 13  
 modum senex, qui libertatem & prin-  
 cipatum miscuit p) res olim dissociabi-  
 les, & brevi imperio (post XVI. enim  
 menses defunctus est) non brevem fe-  
 licitatem reipubl. attulit Vlpium 17  
TRAIANUM adoptando, qui ita impe-  
 rio præfuit, ut non aliter postea in Se-  
 natu acclamatum principibus sit, nisi  
 q) felicior Augusto, melior Trajano. Ete-  
 nim longissime omnium protraxit im-  
 perii fines, & Daciam r) quoque devi-  
 cto rege Decebalo, etiam Mesopota-  
 miam, s) Assyriam & Armeniam pro-  
 vincias fecit. Tanta comitate, libe-  
 ralitate, & in doctos t) amore fuit, ut  
 justis de causis S. P. Q. R. Optimi illi  
 cognomen u) adjecerit. Hoc saltem  
 gloriam tanti principis obscurat, quod  
 præpostera in Deastros pietate & reli-  
 gione acerbius aliquamdiu Christia-

B s

nos

zum & ignobiliter est sepultum. p) Tacitus  
 in Agric. cap. 3. q) Eutropius lib. 8. §. 25.  
 r) Eutrop. lib. 8. §. 9. Xiphilinus lib. 68. s)  
 Eutrop. §. 13. t) Plinius Panegy. c. 47. aut  
 juxta divisionem Cl. Kirchmajeri cap. 58. u)  
 idem Plin. Paneg. c. 88. (aut 118.)



nos afflixit. Tandem a Plinio x) Bithyniæ proconsule certior factus, Christianis innocentiam vitæ singularem esse, mitiorem sententiam tulit y) non conquirendos esse, si vero deferantur & arguantur, puniendos. Hoc tempore *Ignatius*, z) Antiochenus episcopus, Romam abductus fuit & bestiis objectus. Neque hæc sola erat Christiani fundi calamitas, sed hæretici quoque a) pridem cœperant Ecclesiam turbare, *Cerintus*, *Ebion* Christi Deitatem impugnantes, quibus Joannes Apostolus (nam adhæc tempora vixisse traditur) divinos suos libros opposuit.

## SECULUM II.

**T**Rajanus XIX. annorū imperator ad Seleuciam b) Isauriæ defuncto, successorem habuit Alium ADRIANUM, qui

---

x) lib. 10. epist. 97. y) epist. 98. quam Trajani responſionem exagitat Tertullianus Apologet. f. 805. z) Euseb. H. E. lib. 3. cap. 36. a) Tertullianus *prescription. adv. hæret. c. 20.* Eusebius lib. 3. c. 27. 28. lib. 6. c. 17. b) Eutrop. lib. 8. §. 21. Orosius lib. 7. c. 8.



qui tot rebellibus populis ( plures c) enim defecerant ) resistere non ausus reliquit provincias d) Transeuphratas, quas Trajanus fecerat, & de Dacia e) idem conanti amici disuaserunt, ne innumeri coloni Romanorum, a Trajano deducti, barbaris proderentur. Hic pacem Christianis reddidit epistola ad Asiæ Procos. data, f) ut nemini liceret Christianos sine objectu criminis aut probatione damnare. Judæos vero in Cyrenaica, Ægypto & Cyprotumultuantes aliquot cladibus g) Trajanus attriverat, spiritus vero superbæ gentis adeo non repressit, quin Adriani tempore vehementius consurgerent instigati maxime a quodam h) Bar Cochba, id est, *stella filio*, qui pro suorum liberatore & promisso Messia haberi

B 6

berri

c) vide Spartianum in Adriano c. 5. d) Spartian. c. 1. Eutrop. lib. 8. §. 29. e) Eutrop. §. 30. f) Orosius lib. 7. cap. 8. g) Xiphilinus lib. 68. fin. Euseb. Hist. Eccl. lib. 4. cap. 2. h) ex malo eventu nomen mutarunt in *Bar Cozba*, hoc est, mendacii filium. Vid. Rabbi Ganz in Zemach David ad ann. 3880. cum notis Guil. Henr. Vorstii.



beri cupiebat. Post multa prælia collatum est omne bellum circa *i*) Bittêrem oppidum, eoque expugnato & deleto confectum feliciter fuit, rudibus quoque *k*) Hierosolymæ, quam restaurare cœperant Judæi, funditus dejectis, & novo oppido ibi condito, quod Æliam de suo nomine *l*) Adrianus dixit, addito edicto, *m*) ne quis Judæus natione vel a longinquo illam regionem aspiceret.

Obiit Adrianus, cum XXII. ferme annos imperasset successorem relinquens ANTONINUM adoptione filium, qui ob clementiam & morum integritatem *n*) PIUS cognominatus est, quod nulli acerbus, cunctis benignus esset, & defendere *o*) magis provincias, quam

---

*i*) Euseb. H. E. lib. 4. c. 6. *k*) Hieronymus in fine Epist. 129. Tom. 3. f. 311. civitatis (Hierosolymæ) inquit, usque ad Adrianum principem per quinquaginta annos mansere reliquæ. *Has καὶ ἑώραψεν Ἀδριανὸς [Ἰουδαίῃ ἐν] ἱερὴν diruit Adrianus iterum meo tempore, inquit Appianus in Syr. fol. 83. l*) Euseb. H. E. lib. 4. c. 6. Orosius lib. 7. c. 8. *m*) iidem cit. loc. *n*) Eutrop. lib. 8. §. 41. *o*) ibidem §. 38.



quam amplificare studeret. Hic iussu  
 patris *p)* adoptavit M. ANTONINUM  
 PHILOSOPHUM, Marcus L. VERUM,  
 qui post fata Pii, sicut genere *q)* & af-  
 finitate, sic imperii societate *r)* unde-  
 cim annis conjuncti fuere primo rei-  
 publ. Romanæ exemplo, ut duos simul  
 Augustos videret. Verus luxuria *s)*  
 diffuens id laude dignum habuit, quod  
 Parthorum regem Vologesum *t)* supe-  
 ravit, nec collegæ Marco invidit *u)* tri-  
 umphi societatem. Cum Aquilejæ ali-  
 quamdiu egisset belli Pannonici causa,  
*x)* subito morbo correptus diem obiit  
 supremum. At Marcus non tam no-  
 mine, quam vita & doctrina Philoso-  
 phus solus postea reipubl. præfuit, eam-  
 que optime gessit, nisi quod Parthici  
 belli tempore iniquior fuerat *y)* Chri-

3

B 7

stiano-

---

*p)* Capitolinus in Pio cap. 4. *q)* Eutrop.  
 5. 46. *r)* Capitolinus in Vero cap. 11. *s)*  
 Capitol. in Vero cap. 4. *t)* Aurel. Victor.  
 num. 16. Orosius lib. 7. cap. 9. *u)* Capito-  
 lin. in Philosopho cap. 12. *x)* idem in Ve-  
 ro cap. 9. *y)* Orosius lib. 7. c. 9.



stianorum causæ, in Gallia z) aliisque provinciis supplicio afficiens Christianæ professionis homines, & inter hos quoque a) Polycarpum Smyrnesem diu hactenus ex variis periculis & persecutionibus servatum. Bellum quoque gessit contra Quados & Marcomanos ita periculosum, b) ut Punicis conferatur, in quo cum siti premeretur exercitus, & pene ad desperationem adactus esset, legionis Melitenæ c) milites Christiani id precibus impetrarunt, ut hostibus fulmine prostratis Romanæ copiarum imbres effuso reficerentur, unde & legioni *κεραυνόβολα*, id est, *fulminaris* cognomen imperatorem addidisse nonnulli putant. Hæresiarchæ eodem tempore fuerunt d) Valentinus, e) Cer-

z) Euseb. H. E. lib. 5. c. 1. seqq. a) Euseb. H. E. lib. 4. c. 15. b) Eutropius lib. 8. §. 58. c) testis mirandæ Christianorum victoriæ est Tertullianus ad Scapulam, *M. Aurelius*, inquit, *in Germanica expeditione Christianorum militum orationibus ad Deum factis imbres in siti illa impetravit*. Reliqua hujus rei habet Eusebius H. E. lib. 5. cap. 5. d) Valentini error præcipuus fuit juxta Tertullianum



e) Cerdon, f) Marcion, qui præter alios enormes errores Christi humanam & nobis ὁμοιωσίου naturam oppugnantum ibant; præterea g) Montanus & b) Praxeas, cujus progenies fuerunt Patristiani. Nec id temporis felicior res publica, quam Ecclesia, fuit, siquidem Marcus optimus princeps, at infelix pater, monstrum potius, quam successorem dedit COMMODOM filium, videlicet iracundum, crudelem, i) voluptuo-

num de præscriptionibus adv. hæreticos cap. 21. Christum in substantia corporis nostri non fuisse, sed spiritale, nescio quod, corpus de cælo deferentem, quasi aquam per fistulam, sic per Mariam virginem transmeasse, nihil inde vel accipientem, vel mutuantem. e) teste Tertulliano c. 1. Cerdon Christum in substantia carnis negat, in phantasmate solo fuisse pronunciat. f) Marcion Ciquit c. 1. Tertullianus) heresin Cerdonis approbare conatus est. g) Hieronymus epist. 54. Tom. 2. f. 162. Montanistæ, inquit, Trinitatem in unius personæ angustias cogunt, & --- putant scelerata conjugia iterata. h) Tertullianus in fine libri de præscriptionibus, Praxeas, inquit, Deum Patrem omnipotentem Jesum Christum esse dicit, hunc crucifixum passumque contendit &c. i) Herodianus lib. 1. c. 13.



luptuosum, *k*) parasitorum servum,  
*l*) aurigam magis & gladiatorem, quam  
 Romanorum principem. Unde in eum  
 conspirationes, quas effugit *m*) aliquo-  
 ties: at cum ferales codicilli, quibus  
 nomina proscriptorum continebantur,  
 casu *n*) quodam proditi essent, ab iis-  
 dem quos interfecturus erat *o*) oppres-  
 sus, & principatus dignitas PERTI-  
*5* NACTI *p*) delata, sed a militibus disci-  
 plinam senis ægre ferentibus post ali-  
 quot menses cum vita adempta fuit, &  
*6* Didio JULIANO *q*) vendita, verum  
 haud diutius possessa, quippe eodem  
*7* anno a Septimio SEVERO *r*) Panno-  
 niarum rectore occupatur imperium,  
 & Senatus auctoritate *s*) Julianus inter-  
 ficitur. Eodem tempore Pescennius  
 NIGER in Syria, & Clodius ALBINUS  
 in Gallia imperium affectabant, sed  
 uterque a Severo, ille quidem gemino  
 prælio,

---

*k*) ibidem c. 6. & 13. *l*) idem c. 15. & 16.  
*m*) Herodianus lib. 1. cap. 8. & 10. *n*) ibi-  
 dem cap. 17. *o*) ibidem. *p*) Herodian.  
 lib. 2. c. 1. *q*) ibid. cap. 6. *r*) cap. 9. e-  
 jusdem libri. *s*) c. 12.



prælio, ad *1)* Cyzicum & *2)* Issum Cili-  
ciæ; hic ad *x)* Lugdunum victus op-  
pressusque fuit. Parthos quoque *y)* &  
Arabes, quod Pescennio studuerant,  
bello eodem superavit. Æmulis sub-  
latis Christianos persecutus est, quæ *z)*  
quinta eorum vexatio fuit, in quo sup-  
plicium quoque pro Christi honore sub-  
iit Leonides *a)* pater Origenis. Inter  
hæc in Britanniam proficiscitur impera-  
tor, in eaque muro XXXII. millium  
passuum *b)* maria conjungit, ut obicem  
poneret Caledoniorum, quos Scotos  
nunc vocamus, incursionibus, quod  
ante ipsum etiam *c)* Adrianus & *d)* An-  
toninus Pius moliti erant.

Floruerunt hoc seculo, & scriptis o-  
peram

---

*1)* Herodianus l. 3. c. 2. *2)* ibid. cap. 4.  
*x)* Herodianus lib. 3. c. 7. *y)* idem cap. 9.  
*z)* Persecutionem Severi habent post alios  
*Orosius* lib. 7. cap. 11. *Sulpitius Severus* lib. 2. c.  
32. quorum ille *quintam*, hic *sextam*, scil. A-  
driani acerbitatem, qua initio imperii usus  
est, adnumerando, appellat. *a)* Euseb. H.  
E. lib. 6. cap. 1. *b)* Spartianus in Severo  
cap. 18. *c)* idem in Adriano c. 11. *d)* Capi-  
tolin. in Pio c. 5.



peram Ecclesiæ navarunt *Justinus* philo-  
 sophus & *martyr*, apologia, quam  
 Antonino Pio pro Christianis exhibuit;  
 admodum illustris: *Irenæus* Lugdunen-  
 sis episcopus: *Clemens* Alexandrinus,  
 & vergente seculo *Tertullianus*. Etiam  
 interpretes scripturarum ad hoc tem-  
 pus pertinent, *Aquila* Ponticus, *Theo-*  
*dotion* & *Symmachus*; omnes e) Judai-  
 zantes; Ecclesiæ tamen haud inutiles.

### SECULUM III.

**S**everus Eboraci f) in Britannia mor-  
 tuus imperium filiis Bassiano CA-  
 RACALLÆ atque GETÆ reliquit fra-  
 terna, quod sperabat, concordia ad-  
 ministrandum: Tantum vero illius  
 in

---

e) Hieronymus T. 2. lib. 2. adv. Ruffinum c.  
 8. *Judæus Aquila, & Symmachus ac Theodo-*  
*tion Judaizantes heretici.* Aquila enim ex  
 Christiano Judæus; Symmachus ex Judæo E-  
 bionita; Theodotion ex Ebionita Judæus fa-  
 ctus. Unde idem Hieronymus T. 5. in Ha-  
 bac. 4. v. 13. f. 202. *Theodotion, inquit,*  
*Ebionita, & Symmachus ejusdem dogmatis, se-*  
*micristiani &c.* f) Spartianus c. 19. vitæ  
 Se-



in fratrem odium erat, ut nulla ratione placari, nec prius conquiescere potuerit, quam immixtis in palatium percussoribus *g)* obtruncaret. Sic solus rerum potitus Antoninus Caracalla omnia superbius egit, & in amicos fratris crudelissime saevire coepit. Tandem eluso, expetitis filiae nuptiis, *b)* Parthorum rege, & pro genero hostis factus magnam stragem edidit securis barbaris & nihil mali metuentibus; quam cum ultum irent instructis copiis pridem Caracalla a satellite ad Carras *i)* occisus erat. Successor **MACRINUS** barbarorum impetum non sustinens redditis captivis & praeda *k)* pacem redemit, & exacto in deliciis anno *l)* Chalcedone Bithyniae, antequam Romam veniret, cum filio **DIADUMENO**, imperii partecipe, a militibus *m)* trucidatus fuit. Milites tunc im-

Severi. *g)* Herodianus lib. 4. cap. 4. *b)* Artabanus fuit ultimus in hac gente rex, *Herodianus* lib. 4. c. 10. lib. 6. c. 2. *i)* Herodian. 4. 13. *k)* idem 4. 15. *l)* Herodian. lib. 5. c. 4. *m)* idem c. 1. & Lampridius in Diadumeno cap. 8.



imperatorem legerant Antoninum H E-  
 LIAGABALUM , sic a sacerdotio *n*)  
 Solis , quo fungebatur in Phœnicia ,  
 cognominatum. Rumor enim erat ,  
 Caracallæ filium esse occulto stupro ex  
 confobrina genitum. Sed cum se pro-  
 bris omnibus contaminaret , & confo-  
 brinum ALEXANDRUM Mammææ ,  
 duodecim annorum puerum , ipse qua-  
 tuordecim natus *o*) adoptasset , in ca-  
 stris Prætoriiis *p*) tricesimo regni mense  
 oppressus est. Alexander igitur bonus  
 princeps Ulpiano jurisconsulto usus *q*)  
 scrinii magistro bellum Persicum pri-  
 mus Romanorum , quanquam non fe-  
 licissime , *r*) gessit. Hoc enim tempo-  
 re Artaxerxes Persa ab Artabano Par-  
 thorum rege defecerat , & orientis im-  
 perio ad Persas translato antiquos re-  
 gni

*n*) Herodianus lib. 5. c. 3. Phœnicum lingua  
 Solem Ε'λαιαγάβαλον dici tradit , quod docte  
 ex Syrismo evolvit Nicol. Füllerus Misc. S. 1.  
 1. cap. 14. *o*) unde risus in senatu ortus , quia  
*adoptans est adoptato quasi pater* , teste Hero-  
 diano lib. 5. c. 7. *p*) Aurel. Victor num. 23.  
*q*) Euteropius in fine lib. 8. *r*) Herodianus  
 lib. 6. cap. 5. & 6.



gni fines *ſ*) ab Hellesponto usque a Romanis repetebat. Nondum hoc profligato novum bellum *t*) a Germanis excitatum est Illyricum invadentibus, quibus cum obviam factus Alexander pecunia potius pacem, quam armis & pugna pararet, ægre ferentes milites trucidant imperatorem, & summam rerum ad MAXIMUM Thracem natione, & ex *u*) opulione militem ac præfectum tironum deferunt, qui bello cum Germanis gesto, postquam triennio regnaverat, a Pupieno Aquilejæ occisus *x*) fuit talem exitum Christianorum persecutione sexta *y*) promeritus. Tres *z*) tunc simul Augusti facti sunt, *Pupienus, Balbinus & Gordianus*, sed  
prio-

---

*ſ*) superbam Persarum legationem recitat Herodianus lib. 6. cap. 4. *t*) ibidem cap. 7. *u*) Herodianus l. 6. cap. 8. ἐν παιδὶ ποιμαίνων in juventute pastor. & Eutropius initio lib. 9. ex corpore militari primus ad imperium accessit. *x*) Eutropius c. 1. *y*) Oroſio lib. 7. cap. 12. maxime propter Christianam Alexandri, cui successerat, & Mammææ matris ejus familiam videtur persecutionem concitasse *z*) Eutropius lib. 9. §. 4.



prioribus in palatio statim interfectis  
 soli GORDIANO a) imperium reser-  
 vatum est. Hic Janum Geminum b)  
 aperuit Persis, qui moliebantur erum-  
 pere, bellum illaturus. Ex quo victor  
 rediens apud Circesium, c) Euphrati  
 imminens castellum, a PHILIPPO A-  
 rabe, qui post ipsum imperavit, inter-  
 fectus est. Hic Christianæ d) causæ  
 cum primis studens quinque annis rem  
 publicam rexit, millesimum e) Urbis  
 annū ingenti ludorū apparatu celebra-  
 vit, & Philippopolim Arabiæ f) condi-  
 dit

---

a) Eutrop. lib. 9. §. 6. b) Orosius 7. 12. *Ja-  
 ni, inquit, portas aperuit, quas utrum post Ve-  
 spasianum & Titum aliquis clausserit, neminem  
 scripsisse memini. Ab ipso vero Vespasiano ite-  
 rum apertas ex Tacito prodit idem Orosius. At  
 Aurel. Victor. num. 27. Marcum quoque Jani  
 ædes clausisse tradit.* c) huac situm ejus descri-  
 bit Eutropius lib. 9. §. 10. Accuratus hoc Ro-  
 manum munimentum delineat Procopius lib.  
 2. Belli Persici. d) ob id a multis *Christia-  
 nus* fuisse creditur, de quo infra sub finem se-  
 culi III. disputabimus e) Orosius 7. 13. f)  
 patriam Bostra ornamentis auctam *Philippo-  
 polim* vocavit teste *Zonara* T. 2. in Philippo, &  
*Aurel. Victore.*



dit cum filio tandem, quem Cæsarem fecerat, ab exercitu g) interemptus. Post hæc DECIUS ab Illyrico exercitu electus feralibus h) edictis contra Christianos editis in bello adversus Gothos, qui tunc primum ex septentrione ruebant, misere i) occubuit. Brevi post tempore multi imperatores secuti sunt *Hostilianus, Volusianus, Æmilianus* vix imperium k) degustantes: & his interfectis LICINIUS VALERIANUS octavæ persecutionis Christianorum auctor, l) graves pœnas nefarii edicti dedit, quippe in Mesopotamia a Persis captus in ignobili servitute m) consenuit. Nec filius GALLIENUS de patre liberando cogitavit, sed ignavia permisit, ut  
Ger-

---

g) Senior Philippus Veronæ; Romæ junior occisus, *Eutrop. 9. §. 13.* h) Euseb. H. E. 6. 39. Orosius 7. 14. i) Zosimus lib. 1. & Epitome Victoris num. 44. *in solo Barbarico gurgite paludis submersus est.* k) vide horum imperia & æmulationes apud Eutropium lib. 9. & Aurelium Victorem num. 30. 31. Dignum notatu Eutropii iudicium, *sola pestilentia & morbis eorum principatum innotuisse.* l) Orosius 7. 15. m) Eutrop. 9. §. 25.



Germani *n*) in Galliam, Hispaniam, & in Italia Ravennam usque excurre-  
rent, Gothi *o*) Thracias & Græ-  
ciam vastarent, Dacia, trans Danubi-  
um provincia, amitteretur prorsus. A-  
ctum fuisset de Romanorum domina-  
tione, nisi *Odenatus p*) Palmyrenorum  
princeps, & hoc occiso uxor *q*) *Zenobia*  
Ægyptia mulier, Persarum impetum  
retardassent: in Gallia vero *Posthumius*  
*r*) nutantem Occidentem stabiliisset.  
Et hi sunt ex XXX. illis *s*) tyrannis, qui  
Gallieno luxuriæ, *t*) popinis & amori-  
bus vacante Rom. imperium, sed alii  
aliis locis, invaserunt, & partim mu-  
tuis æmulationibus, partim ab Aure-  
liano principe postmodum confecti  
sunt. Etenim Gallieno Mediolani  
post novem *u*) annos occiso **CLAUDI-**  
**US** a militibus surrogatus est, qui Go-  
thos

*n*) idem §. 30. seqq. & Orosius c. 1. *o*) Tre-  
bell. Pollio cap. 5. & Eutrop. c. 1. *p*) vide-  
atur idem Trebellius Pollio in XXX. tyrannis  
cap. 15. *q*) ibidem cap. 30. *r*) Eutrop. 9.  
§. 35. *s*) quorum vitas descripsit Trebellius  
Pollio. *t*) sunt Trebellii verba *de 30. ty-*  
*rannis* cap. 3. *u*) Eutrop. 9. §. 44.



thos *x*) ad Martianopolim Mœsiæ urbem ingenti prælio devicit, intra biennium vero *y*) morbo interiit, cui frater **QUINTILLUS**, vir sanctus, *z*) successit, sed XVII. tantum dierum imperator. Igitur **AURELIANUS**, Dacia Ripensi oriundus, fortis manu & *a*) Francorum apud Maguntiacum victor, imperium suscepit, & Gothicis *b*) victis Romanam ditionem ad fines pristinos revocavit de Zenobia quoque Orientis domina, & *Tetrico* Galliarum tyranno triumphans. Solam Daciam ultra Danubium intermisit Romanis colonis in *c*) Mœsiam revocatis, quam suam Daciam vocari voluit inter duas Mœsias mediam. Utilis sic reipublicæ, at sævus & formidabilis Ecclesiæ, & *d*) nonæ persecutionis auctor fuit, quæ res pœnam Ecclesiæ hostibus dignam acceleravit, ut servi *e*) fraude in

C

Thra-

*x*) Trebell. Pollio in Claudio cap. 9. *y*) Eutrop. 9. 47. *z*) Trebellius in Claudio cap. 12. *a*) Vopiscus in Aureliano c. 7. *b*) Eutrop. 9. 53. *c*) Vopiscus cap. 39. *d*) Orosius 7. 16. *e*) Eutropius. 9. 67.



Thracia *f*) interficeretur. Post TACI-  
TUM, qui *g*) Mœotidas ex Asia depu-  
lit; & fratrem FLORIANUM pauco-  
rum mensium imperatores PROBUS  
Sirmiensis ad rem publicam accessit, &  
*b*) Gallia, Thracia, Asia a barbaro-  
rum incurfione liberatis, victisque  
*Bonoso & Proculo* Anticæfaribus, vine-  
as Gallos *i*) ac Pannonios habere per-  
mifit. Hunc interemit militaris tu-  
multus in *k*) turri ferrata ad Sirmium,  
cum quinquennio regnasset omnibus  
imperatoribus, qui antecesserant, me-  
lior. Post eum CARUS, Narbonæ in  
Gallia natus, Augustus creatur, & ex  
*l*) Sarmatico bello in Perfas profectus,  
Ctesiphonte ac Seleucia *m*) captis, ictu  
fulminis supra Tigridem periiit. Rever-  
fus e Perfide victor exercitus DIOCLE-

TIA-

---

*f*) ad *Heracleam* Thraciæ, Zonaras Tom. 2. f.  
240. Vopifcus e. 35. *g*) Vopifcus in Tacito  
c. 13. *b*) idem in Probo c. 13. feqq. *i*) Eu-  
tropius 9. 76. *k*) idem §. 79. *l*) Vopifcus  
in Caro c. 8. *m*) Eutrop. 9. 83 ambigue hæc  
narrat Zonaras T. 2. in Caro 1 Vopifcus vero  
propior est Eutropio.



TIANUM Augustum appellat, qui victo ad *n*) Margum Mœsiæ *Carino* Carinifilio MAXIMIANUM imperii socium legit, quorum ille in Oriente, hic in Occidente Ecclesias vastavit, quæ decima *o*) post Neronem persecutio numeratur. Tum temporis non optimæ res Romanorum erant provinciis intestino motu laborantibus, quod in causa fuit, ut Maximianus Herculeus ex *p*) Cæsare Augustus, Constantius vero & Maximianus Galerius Cæsares legerentur, e quibus Constantius Galliam pacavit *q*) Alemannorum LX. millibus cæsis: Maximianus Augustus bellum in *r*) Africa profligavit: Cæsar Maximianus *s*) Persas vicit: Diocletianus *t*) Ægyptum in ordinem redegit, Britanni-

C 2

is

*n*) alii aliter vocant hoc Mœsiæ oppidum: sed *Margus* est vera appellatio secundum Casaubonum in Vopisci Carinum c. 18. *o*) Orosius 7. 17. *p*) bene in hac historia distinguendi sunt *Cæsares* ab *Augustis*: Illorum tum potestas, tum ornamenta minora erant, quam Augustorum. *q*) Eutrop. 9. 110. *r*) ibidem. *s*) idem §. 115. seqq. *t*) idem Eutrop. §. 112.



is quoque ductu præfecti prætorio recuperatis. Post hæc uterque Augustus imperio se abdicavit & CONSTANTIUS atque GALERIUS <sup>u)</sup> Augusti appellati. Ecclesia hoc seculo multas tulit persecutiones sub Trajano, Antonino Philosopho, Severo, Maximino, Decio, Valeriano, Aureliano, Diocletiano: multos quoque principes vidit pios, modestos & Christianæ rei in primis studentes. Tertullianus <sup>x)</sup> enim Antoninum Caracallam lacte Christiano educatum dicit, & Alexander Severus Lampridio <sup>y)</sup> teste in larario suo & Christum & Abrahamum habuit, quod citra dubium a matre Mammæa hausit Origenis <sup>z)</sup> in Christiana fide discipula, quam an vere professa fuerit, non liquido constat. Philippum vero Arabem Christianum fuisse multi veterum <sup>a)</sup> asseverant, quamvis malint alii de favore

---

<sup>u)</sup> qui dudum Cæsares fuerant. <sup>x)</sup> ad Scapulam cap. 3. <sup>y)</sup> in vita eius cap. 29. <sup>z)</sup> Orosius lib. 7. cap. 11. <sup>a)</sup> Euseb. H. E. 6. 34. Orosius 7. 13. Hieronymus in *Catalogo scripto-*  
rum



vore in Christianos, quam fidei profes-  
sione intellectum, ut id honoris b)  
Constantino reservarent. His ergo  
regnantibus mira incrementa habuit  
Christiana res, & Ecclesie operam com-  
modarunt initio quidem seculi *Clemens*  
& *Tertullianus*, licet hic invidia & con-  
tumeliis c) Romani cleri commotus in  
Montani castra transferit; & *Origenes*  
Bibliorum editionibus, quæ d) Tetra-  
pla, Hexapla, Octupla vocantur, illu-  
strissimus: post hæc tempora *Gregorius*  
*Neocæsariensis* floruit, & *Cyprianus*  
*Carthaginensis* episcopus, qui tanti fe-

C 3

cit

---

*rum Eccles.* in descriptione *Origenis* Tom. 1. f.  
106. *Zonaras* Tom. 2. f. 229. *Jornandes de suc-  
cessione regnorum*, in hoc imperatore, qui  
omnes *Philippum vere Christianum* fuisse af-  
firmant. b) Ipse *Eusebius de vita Constant.*  
4. cap. 62. ex omni, inquit, omnium impera-  
torum memoria solus *Constantinus in Christi  
martyris renatus & sacris initiatus &c.* *Conf.*  
*Hist. Eccl. Gothan.* P. 2. p. 248. c) hanc cau-  
sam *Hieronymus* affert de *Scriptoribus Eccles.*  
in *Tertulliano* fol. 106. d) *Tetrapla* præter  
*LXXviralem* complectebantur *Aquilæ*, *Sym-  
machi* & *Theodotionis* versiones. His addi-  
tus



cit civem suum Tertullianum, ut e) absque eius lectione ne diem prætermiserit. Ut fieri autem solet, nec hæreticis hæc tempora caruerunt, siquidem octava & nona persecutione fervente f) *Novatus* Catharorum pater in Ecclesia turbas dedit, & post eos g) *Sabellius* & h) *Paulus Samosatenus* Trinitatis hostes persecutionibus vexatam Ecclesiam intestinis quoque insidiis afflixerunt, quibus accessit i) *Manes* infustus ille auctor Manichæismi.

S E-

tus Hebraeus textus semel propriis, iterum Græcis characteribus exaratus, notissima illa *Hexapla* constituebat: tandem *Octapla* fiebant accessione duarum editionum, quarum altera Hierichunte in doliō, altera Nicopoli ad Actium reperta fuit. Vid. *Euseb.* H. E. lib. 6. c. 16. *Hieronymus* de Scriptor. Eccles. in Origene, & lib. 2. adv. Ruffinum cap. 8. e) testis rei est *Hieronymus* de Scriptoribus Eccl. in Tertulliano. f) qui lapsorum pœnitentiam negabat, *Hieron.* T. 1. f. 108. g) Trinitatem in angustias unius personæ cogebat, *Hieron.* epist. 54. & in tribus vocabulis trinominem credens Deum, idem adv. Luciferian. c. 5. h) *Euseb.* H. E. 7. 27. *καπενὰ ἡγὶ Χριστοῦ πλὴν μετ' ἑὸ Χριστὸν φερονόου.* i) *Socrates* I. libri



## SECVLVM IV.

Supra diximus Diocletianum & Hercu-  
 culium sponte abdicato imperio Ga-  
 lerium & Constantium Chlorum fecif-  
 se successores. Constantius vero *k)*  
 Gallia & Hispania contentus reliquas  
 provincias Galerio omnes cessit, qui  
 duos Cæsares legit, *Maximum*, cui O-  
 rientem permisit, & *Severum*, cui Ita-  
 liam regendam dedit, ipse in Illyrico  
 constitutus. Constantius in Britannia  
*l)* mortuus CONSTANTINUM filium  
 ex Helena procreatum Galliarum reli-  
 querat imperatorem, cum prætoriani  
 Romæ *Maxentium* Herculi filium Au-  
 gustum nuncuparent, & ipse *m)* pater  
*Herculius* privatæ vitæ pertæsus hono-  
 res filio præripere conaretur, sed elusus  
 ab exercitu in Gallias profugit genero  
 Constantino insidias paraturus, sed his

C 4

quo-

libri cap. 17. Μανη βαιμο εριδουι πολυθεοτα-  
 τια, *factum*, μελει ψυχασιν, & quod *spectrum*  
 fuerit Christus, &c. *k)* sunt fere Orosii ver-  
 ba 7. 17. *l.)* Eboraci, Eutrop. 10. §. 6. *m)*  
 idem 10. §. 10. & Aurelius Victor. num. 40.  
 p. 313.



quoque per filiam detectis Massiliæ iusta poena oppressus fuit. Pari modo <sup>n)</sup> Severus Cæsar a Galerio contra Maxentium missus periit Ravennæ. Galerius, postquam <sup>o)</sup> LICINIUM novum hominem imperatorem dixerat, fatis concedit. Inter Constantinum vero & Maxentium civile bellum <sup>p)</sup> conflatur, & hic aliquot præliis fatigatus tandem ad <sup>q)</sup> Milvium pontem victus & Tiberi submersus est. Dignum memoria, quod gravis scriptor Eusebius <sup>r)</sup> ex ipsius sanctissimi imperatoris ore refert, antequam Maxentium oppugnatum iret, crucem in cælo apparuisse cum epigraphe: TOTTΩI NIKΑ, id est, HÆ VINCE, quo magis magisque in Christiana fide, in quam pridem propenderat, præsertim eventu victoriam comprobante, confirmatus fuit. Licinius

quo-

---

<sup>n)</sup> Eutrop. 10. §. 22. <sup>o)</sup> idem §. 20.  
<sup>p)</sup> nempe ut Romam liberaret a tyrannide Maxentii, bellum eidem indixit, Euseb. de vita Const. lib. 1. c. 26. & 37. <sup>q)</sup> Euseb. ibid. cap. 38. Aurel. Victor num. 40. Prudentius lib. 1. contra Symmachum v. 484. <sup>r)</sup> Euseb. lib. 1. de Vita Const. c. 28.



quoque Maximinum, facem & tubam  
 f) persecutionis decimæ, ad Tarsum  
 Ciliciæ t) oppressit, sed ipse postmo-  
 dum a Constantino uxoris fratre vi-  
 ctus ad u) Chrysopolim & Theffaloni-  
 cæ occisus est.

Sic cæsis tyrannis solus rerum poti-  
 tus est Constantinus, primus impera-  
 tor, quod x) certo constet, Christianis  
sacris addictus, qui templis gentilium  
 clausis y) & novis Christo dedicatis  
 Christianam rem insigniter auxit, vere  
 Magnus Ecclesiæ, licet, quod z) qui-  
 dam putant, ~~non itidem publicæ rei,~~  
 dum dedicata Constantinopoli anam  
 dividendi imperii & deferendi Occi-  
 dentis dederit, & Gothos quoque fœ-  
 dere percusso, ut auxilio imperii excu-  
 barent, in ipsum imperium armaverit.  
 Hujus mater Helena religiosa mulier

C 5

a) basi-

f) H.E. l. 9. c. 6. & 8. t) Eutrop. & Victor cc. 11.  
 u) Cedrenus fol. 233. Est vero *Chrysopolis* Bi-  
 thyniæ oppidum prope Chalcedonem. x)  
 vide supra dubitanter dicta de Philippo Ara-  
 be & c. y) Orosius 7. 18. in fine & Euseb. de  
 vita Const. lib. 3. c. 54. seqq. z) iniquior  
 Con-



a) basilicam imposuit monti, ex quo in  
 cœlos Servator ascenderat, & alteram  
 antro Bethlehemitico, in quo in lucem  
 credebatur editus: etiam filius impe-  
 rator sanctissimum sepulcrum b) pari  
 substructionum mole honoravit. Ec-  
 clesix vero felicitatem, quam ex opti-  
 mo principe habebat, *Ariana* hæresis  
 ex *Ægypto* c) latius in dies serpens non  
 mediocriter intervertit, sed huic quo-  
 que malo obviam ivit imperatoris pie-  
 tas, & d) CCCXIIIX. episcopis & pres-  
 byteris Niceam Bithynix convocatis  
 pristinam & Apostolicam doctrinam  
 restituit, simulque tempus celebrandi  
 e) paschatis, quod controversum hac-  
 tenus fuerat, concilii suffragiis defi-  
 nivit. Verum ne sic quidem sedati  
 motus sunt, quin gravius erumperent,  
 & pius *Atbanasius* calumniis oneratus  
 & episcopatu dejectus in f) Treviros  
 Gallix

---

Constantini censor est Zosimus lib. 2. p. 32. in  
 quem invectivam propterea scripsit Evagrius  
 H. E. lib. 3. c. 41. a) Euseb. lib. 3. vit. Const.  
 c. 41. b) ibid. c. 29. c) lib. 2. cap. 69.  
 seqq. d) lib. 3. c. 7. seqq. e) Euseb. Vit.  
 Const. lib. 3. c. 18. f) Socrates lib. 1. cap. 23.



Galliæ exulatum mitteretur: Arius veropœnitentiam simulans in Ecclesiam reduceretur, quamvis divina vindicta g) intestinorum excussione imperatam receptionem anteverterit.

Cum sic duos & triginta annos Constantinus imperasset, Nicomediæ, postquam baptismatis b) lavacro tinctus fuerat, beatam animam efflavit, & filiis ita divisum i) imperium reliquit, ut CONSTANTIO Oriens, CONSTANTINO Transalpinae provinciae, CONSTANTI Italia, Africa & Illyricum concederent. Delmatus k) enim Cæsar, Constantini ex fratre nepos, continuo militari factione extinctus est. Constantinum vero fratri l) bellum inferen-

C 6

feren-

g) *ibid.* cap. 15. Cedrenus f. 243 b) ad Nicomediã ante finem vitæ baptizatum testatur Euseb. 4. de Vita Const. c. 62. Sozomenus lib. 2. c. ult. i) hanc divisionem habet Victoris Epitome p. 106. k) Orosius 7. 19. Eutropius lib. 10. §. 41. l) causa belli, quod *divisio provinciarum, Italiae praesertim & Africae, Constantino iniquior videbatur, Zonar. T. 3. f. 18.*



ferentem Constantis duces apud Aquilejam oppresserunt, atque ita respublica ad duos Augustos redacta est. Dum vero Constantius contra *m*) Saporum regem Persarum male rem gerit, Magnentius *n*) quidam, ex satellite comes legionum, Occidentis imperium invadit Constante in Aquitania oppresso, & cruentis *o*) praeliis cum Constantio fratris ultore a quo *p*) Mursam Galliarum, & ad *q*) Ticinum confligit, & rebus tandem exutus Lugduni manus sibi violentas infert. Sic Constantius paternam cunctam ditionem consecutus neque pietate, neque clementia *r*) patrem æmulatur, sed ab Arianis in partes allectus

---

3. f. II. & Victoris epitome p. 106. *m*) *Bella Constantii contra Arianos* habet Ammianus lib. 18. 19. 20. Erant autem tria bella, omnia infelicia, *Zosimus in fine lib. 3.* *n*) de Magnentio ejusque invasione vid. Victoris epitoma. *o*) *ingentes imperii Rom. vires ea dimicatione consumptas esse* ait Eutrop. 10. §. 55. *p*) *Eriam Mursia* scribitur: fuit autem castellum Galliarum teste Socrate Hist. Eccl. 2. 27. Sozom. 4. 6. *q*) hoc praelium Victoris epitoma addit p. 108. *r*) Sulpit. Severus 2. 38.



lectus Athanasium, quem ipse fratris Constantii *f)* literis, & concilii *t)* Sardicensis auctoritate motus restituerat, denuo in *u)* exilium abigit, & *x)* Sirmieniensi synodo, in qua se Photinus ut forex prodidit, Arianas res mirifice adjuvit, & Patres synodi *y)* Ariminensis ac *z)* Seleuciensis vi ac minis perterruit, ut callidæ Arianorum sententiæ subscriberent. Etiam Arimino Ariani Niceam *a)* Thraciæ profecti confessione subdole facta, quasi Nicena Bithynica esset, impoluerunt imperitis. Sic *b)* totus ingemuit orbis, & se Arianum esse miratus est.

Nec suis tantum motibus Ecclesia ad exitium pene afflictâ, sed hostes quoque externi accessere, quippe Constantius Augustus Cæsarem dixit Ju-

C 7

L I A

*f)* Sozom. 3. 19. *t)* Sulp. Sev. 2. 36. Socrates 2. 16. *u)* Sozom. 4. 2. *x)* Sozom. 4. 5. Socrat. lib. 2. cap. 24, 25. *y)* Sulp. Severus 2. 41. *z)* idem c. 42. Socrat. 2. 31. seq. *a)* Sozomenus 4. 18. & Theodoretus 2. 21. qui symbolum Pseudo Nicenum exhibet. *b)* sunt Hieronymi verba adversus Luciferianos



LIANUM patruelem, qui rebus ad  
 c) Argentoratum præclare gestis & fini-  
 bus imperii Rom. recuperatis Augusti  
 honores arripuit, nec adigi a Constan-  
 tio potuit, ut ad officium & d) pristinos  
 honores rediret, quem motum e) mors  
 Constantii interemit. Hic defectione ad  
 f) gentilismum gravis Christianis erat  
 templa Deorum g) aperiens, & Judæis  
 permittens Hierosolymæ restorationē,  
 quamvis hæc b) igni erumpente &  
 terræ motu impediretur. Christia-  
 nos

nos cap. 7. fol. 108. c) Ammianus lib. 16.  
 Zosimus lib. 3. Eutrop. 10. § 62. d) Am-  
 mianus Marcellinus lib. 20. p. 184. literis da-  
 tis præcepisse Juliano Constantium dicit, ut  
*intra Caesaris potestatem se contineret: &*  
*paulo post: sufficere Caesaris potestatem Ju-*  
*liano censebat.* e) Zosimus lib. 3 fol. 27.  
 f) Ammianus lib. 21. p. 195. *audere, inquit,*  
*cultui Christiano fingeat, a quo jam pridem*  
*occulte desciverat.* g) idem lib. 21. p. 225. *u-*  
*bi vero adesse sibi liberum tempus faciundi, quæ*  
*veller, advertit, sui pectoris patefecit arcana, &*  
*planis absolutisque decretis aperiri templa. aris-*  
*que hostias admoberi, & reparari Deorum sta-*  
*tuit cultum.* h) idem Ammianus lib. 23. *in-*  
*eunte, metuendi, inquit, globi flammarum*  
 prope



nos autem non tam *i)* suppliciis, quam clausis templis & ereptis *k)* artium officinis vexabat, honorum civilium *l)* quoque aditu intercluso. Sed eum eventum habuit persecutio, quem Athanasius *m)* prædixerat, scilicet nubeculam esse cito transituram. Nam bello Persico circumventus, cum ex *n)* vulnere sanguinem in aëra sparsisset cum impia voce, *o)* VICISTI GALILÆE, impuram animam efflavit. Orbati imperatore milites JOVIANUM eligunt, qui pacem cum Persis necessariam magis, quam Romanis dignam fecit traditis *p)* provinciis & *q)* urbibus qui-

---

*prope fundamenta crebris assultibus erumpentes fecere locum, exustis aliquoties operantibus, inaccessum* *i)* Eutrop. 10. §. 79. *nimius religionis Christianæ insectator, perinde tamen, ut abstineret cruore.* *k)* Zonaras T. 3. f. 21. *καὶ λυέει ἀνδρῶν μαθημάτων κατέχευεν ἐδάηντων.* *l)* Sozomenus 5. 17. *m)* Socrates 2. 12. *n)* Zonaras fol. 23. *Incertum vero (ratente Ammiano, qui rei gestæ interfuit) a quo hasta percussus sit.* *o)* Theodoretus 3. 20. *p)* *quinque Transisritana, Ammianus lib. 25. p. 322.* *q)* *Singara & Nisibis Mesopotamiæ*  
mu-



quibusdam munitis. Decedens Per-  
 fia revocatis r) episcopis, quos Con-  
 stantius & Julianus proscripserant, in  
 Galatia s) diem suum obiit imperii  
 mense septimo. Post hunc VALEN-  
 TINI ANUS imperator fratrem VA-  
 LENTEM assumpsit regni socium, ut ipse  
 Occidentalibus provinciis, Valens O-  
 rientis præficeret. Ille Saxonum ac t) Bur-  
 gundionum victor in Sarmatas quoque  
 & Quados moturus u) subito extin-  
 guitur: hic Arianæ hæresi addictus or-  
 thodoxos premit & x) quoscunque li-  
 teratos, & a Gothis acie victus in tugu-  
 rior, y) quo saucius confugerat, igne  
 cir-

---

munita oppida, cum *Castris Maurorum*, mu-  
 nimento perquam opportuno. Ammian. c.  
 l. Zonaras fol. 24. r) Theodoretus 4. 2. quia  
*Christiana legis studiosus erat* teste Ammiano  
 fin. lib. 25. s) Eutrop. 10. fin. t) *no-vo-*  
*rum hostium nobis nomen*, ait Orosius 7. 19.  
 u) vel sanguine suffocatus, ut Orosius habet,  
 vel apoplexia. Ammianus lib. 30. pag. 457.  
*tanquam ictus e caelo, vitalique via voceque si-*  
*mul obstructa &c.* x) Zosimus 4. lib. p. 65.  
 y) alii in acie cecidisse, alii combustum in  
 fuga tradunt. *Causa diverse sententiarum,*  
*quod nusquam postea repertus est, Ammian. 31.*



circumdato combustus creditur. Valentiniano successit GRATIANUS filius, Alemannorum ad Argentariam z) victor, jam tum vivo parente regni confors. Extincto vero Valente THEODOSIUM collegam præfecit Orienti, qui Hunnis a) & Gothise Thracia ejectis Maximum quoque Gratiani percussorem debellavit b) ad Aquilejam. VALENTINIANO quoque II. c) suorum fraude extincto Occidentis etiam imperium nactus Theodosius severius iusto in d) Theffalonicenses animadvertit, & ob id templo prohibitus ab Ambrosio legibus se Ecclesie subiecit ~~acquissimo~~ quissimo animo disciplinam episcopi perferens. Tandem Mediolani diem obiit e) compositam tranquillatamque rempublicam ARCADIO & HONORIO

---

z) *Argentaria* Gallie oppidum, ab Argentorato probe distinguendum, vid. Andr. Schottus in Epitom. Victoris p. 117. & Orosius 7.19. a) Orosius 7. 20. b) Epitoma Victoris n. 74. c) Orosius lib. 7. cap. 21. fin. d) Cedrenus fol. 261. Zonaras Tom. 3. f. 29. e) Orosius lib. 7. c. 23. Epitoma Victoris in fine.



RIO filiis relinquens, qui demum ita dividunt Rom. imperium, ut nunquam coaluerit iterum.

Quarti seculi finis doctores habuit egregios, *Basilium* Magnum, *Nyssenum* & *Nazianzenum* Gregorios, *Ambrosium*, *Chrysostrum*, *Hieronimum*, & jam florere incipientem *Augustinum*. Hoc quoque tempore Constantinopolitanum f) concilium, quod Oecumenicum II. fuit, Nicena fide confirmata damnavit *Macedonium* πνευματομάχου & ante ea sub Constante & Constantio principibus *Donatus* g) totam pene Africam sua persuasione deceperat. Huc quoque referri debent Papatus quædam initia, dum sacerdotum conjugia, in Nicena synodo egregie à b) Paphnutio

---

f) sub Theodosio, & quidem Ἰσ βασιλέως ἐπιτοράξαντι & imperatore ipso edicente, *Zonaras* Tom. 3. fol. 30. g) *Hieronim.* Catal. Script. Eccles. T. 1. f. 109. Hæresis Donatistarum præcipua, sacramentorum efficaciam à ministri dignitate pendere. b) *Socrates* 1. 8. *Sozomen.* 1. 22. uterque in hac causa defenditur contra Pontificios à *Chamiero Panstrat.* Tom. 3.



tio defensa, Siricius Pontifex lege lata damnat, & Hieronymus quoque nimius est in laudando cælibatu. Etiam panegyricis orationibus Basilii, Nysseni, Nazianzeni primam originem debet Sanctorum invocatio, dum quod eloquentiæ studio fecerant, rudicribus occasionem errandi præbuit.

SE CULUM V.

Mortuo Theodosio Arcadius Orienti imperans ægre provincias contra *i)* barbaros defendit, *Chrisostomum* in *k)* exilium pellit, restituit, iterumque expellit: Honorius Occidenti præest infelix imperator, siquidem ipso regnante Gothi non solam Pannoniam, ut ante hac factum fuerat, sed ipsam quo-

---

Tom. 3. lib. 16. cap. 10. Quid? quod ipse Gratianus *distinct. 31. c. Nicena*, illam Paphnutii historiam & concilii approbationem habet. *i)* Nam perfidia Ruffini comitis & tutoris Græciam, Gothi alliciebantur, *Zosimus* lib. 5. init. *k)* causa duplicis exilii, quod Augustæ impietatem liberius reprehenderet, *Zonar. T. 3. f. 32.*



quoque Italiam Alarico duce vastant,  
 l) Romam capiunt, Vandali Hispaniam  
 m) occupant, Franci Galliam invadunt  
 n) nunquam relinquendam, ut nunc demum Rom. imperium, quod semper amissa recuperaverat, barbarorum præda fieret, & in dies minueretur. Arcadio filius sufficitur THEODOSIUS II. quadraginta & trium annorum in Oriente imperator, qui Ephesi synodum contra Nestorii o) impietatem congregavit. At sub VALENTINIANO III. (Honorii ex sorore nepote & successore) Africa p) provincia amissa fuit q) Vandalis Hispania relicta eam occupantibus. Nec sola hæc calamita-

---

l) Procopius lib. 1. p. 6. & 7. *Historia Vandali-  
 lica* a Grotio versæ, & Jornandes cap. 30. *Ge-  
 tic. rerum.* m) Procopius pag 9. n) Gre-  
 gorius Turohensis lib. 2. cap. 9. Confer Box-  
 hornium *Hist. Univers.* p. 324. accurate disse-  
 rentem. Hæc sunt initia regni Francorum  
 in Galliis. o) hæresin Nestorii describunt  
 Evagrius lib. 1. cap. 2. seq. Zonaras T. 3. f. 34.  
 quod dixerit, ἄλλον μὲν εἶναι τὸν ἰσ̄ θεῶν ἕν  
 λόγον, ἄλλον δὲ τὸν χριστὸν θεῶν ὑποκειμένην  
 καὶ χρείῃ θεωθέντα. p) Procop. *Vand.* 1. p. 12.  
 q) Procop. c. 1. Invitati vero sunt Vandali æ-

σμη-



Iamitas fuit, verum Attila *r*) quoque rex Hunnorum ex Pannonia movens Aquilejam, Mediolanum, Ticinum vastat, & Italiam omnem terroribus implet. Valentiniano ob adulteria interfecto Augusta, ut se tyrannide Maximi liberaret, Gizerichum *s*) Vandalorum ducem ex Africa vocat, qui Romam iterum capit & omnibus divitiis spoliatur, Siciliam *t*) & Sardiniam subigit, Illyricum, Peloponnesum & insulas circumjectas prædando infestat, Græcam classem, quæ contra se in Africam venerat, incendio delet, & sic undique victor pace cum Græcis inita Vandalicū regnū, cuius sedes Carthagine erat, Honoricho filio relinquit, qui orthodoxos in Africa (siquidē Ariani sunt Vādali) incredibile in modū *u*) persecutus est. Ab eo tēpore obscuri in Italia principes erant, *x*) *Maximus* Valentiniani per-

cul-  
 mulatione & discordia Rom. ducum Aëtii & Bonifacii. *r*) Jornandes de rebus Geticis c. 47. *s*) Procopius lib. 1. Vandal. p. 16. *t*) idem p. 18. seqq. *u*) Evagrius Hist. Eccl. 4. 14. *x*) Procopius 1. Vandal. p. 22. post Maximum tyrannum tantū Majorinū, Glyceriū & Augustulum  
 me-



cussor, Avitus, Majorinus, Olybrius, Glycerius & tandem Augustulus Momyllus, in quo imperium Occidentale defecit post tria secula a Carolo M. restaurandum.

Interea Theodosio II. MARCIANUS successerat ex milite & Gizerichi y) captivo imperator Orientis, qui Eutychianam z) hæresin Chalcedonensi a) synodo, quæ IV. Oecumenica fuit, episcoporum suffragiis damnavit. Marcianum excepit LEO, hunc Leo II. majoris nepos, aut hujus potius parens ZENO Isauricus, homo animo & corpore b) fœdissimus, qui Theodoricum  
Go-

---

memorat, sed adjicit: *regnarunt in Occidente & alii, quorum nomina gnarus non memoro, quia nec diuturnum ipsis, nec rebus gestis insigne imperium.* y) liberatus e captivitate fuit miro omine, quod aquilæ alis tegetetur dormiens. Procopius 1. *Vandal.* p. 13. z) *σάρακα ἡρεῖν ἐρεῖσιον ἡγὺ φύσιν μίαν* Christum habuisse dixit. Zonar. T. 3. f. 38. a) Synodum hanc prolixè describit Evagrius lib. 2. c. 4. b) Zonaras T. 3. f. 42. Zeno vero ab Anti-Cæsare Basilio deturbatus latuit aliquamdiu, post iterum recuperavit imperium, Zonar. c. 1.



Gothorum regem *c)* excitavit, ut *d)* Odoacrum Augustuli victorem Italia expelleret. Ipsum autem Zenonem vivum, sed vino gravatum, *e)* uxor sepulcro inclusisse dicitur. Post hunc rerum potitus est ANASTASIUS, hostis Chalcedonensis synodi, quippe in sectam *f)* *συγχυτικῶν* propendens, quo regnante *g)* Bulgari gens Scythica, in Illyricum & Thraciam irruerunt, tandem in *b)* Mœsia sedem figentes. Ecclesiam hoc tempore lumina Patrum *Augustinus*, *Isidorus Pelusiota*, *Orosius*, *Salvianus*, *Theodoretus*, *Cyrillus* exornant: contra *Pelagius*, *Nestorius*, *Eutyches* incredibiliter turbant atque depravant. Judæorum quoque res variæ erant. Hactenus enim scholas & academias post everfam Hierosolymam Tiberiade, Zippore, Lyddæ habuerant conscripto quoque quod

seculo

*c)* Procopius Grotii lib. 1 Goth. p. 140. *d)* dux barbarorum militum, quos Romani alebant, *Procop.* Goth. init. & *Aretinus* init. lib. 1. de bello Ital. *e)* Zonar. c. 1. *f)* idem f. 45. *g)* idem fol. 46. *b)* sub Justiniano, ejusque anno XII. *Cedrenus* f. 305.



seculo III. Christiano accidit, Talmude Hierosolymitano: sed cladibus tandem attriti in Babyloniam secedunt, & illustres ibi ludos aperiunt *i)* Soræ, Pombedithæ, Nehardæ, & Talmud illud majoris molis, quod Babylonicum vocatur, conficiunt. In Creta vero mire elusi sunt a Mose quodam, qui reditum in patriam per mare exiccatum pollicitus in causa fuit, ut ingens turba *k)* in aquas præcipitata perierit.

## SECVLUM VI.

Post hæc per JUSTINUM Thracem ad JUSTINIANUM rerum summa devolvitur, qui Vandalis Belisarii virtute victis *l)* Africam denuo provinciam fecit, Siciliam *m)* & Italiæ magnam partem Gothis eripuit, liberassetque omnem,

---

*i)* R. Benjamin Tudelensis in Itinerario p. 63. & 81. edit. L' Empereur in 8vo. Adde Buxtorfi Tiberiadem lib. 1. cap. 6. *k)* accidit hæc tragoedia sub Theodosio II. quam Socrates Hist. Eccl. lib. 7. cap. 37. descripsit. *l)* Zonar. T. 3. fol. 54. *m)* Procopius Goth. 1. pag. 151.



omnem, nisi Belisarium a cursu rerum felicissimo ad bellum Persicum *n*) revo-  
casset. Nihilominus Narses in Belisa-  
rii locum missus *o*) Totilam, ejusque  
successorem *p*) Tejam subegit, qui fi-  
nis fuit Gothorum in Italia imperii. Le-  
ges quoque dispersas in Codicem colli-  
gi, & Institutiones juris Romani con-  
scribi jussit imperator immortalis laude  
dignissimus, si illud excipias, quod  
Aphthartodocitarum hæresin *q*) edi-  
ctis propagare instituerat, & artium  
magistris *r*) abrogato stipendio fores a-  
peruit barbariei, quæ Orientem post-  
modo occupavit, cui, quantum potu-  
it, obviam ibat *s*) Priscianus Gramma-  
ticus. Slavi quoque hoc tempore ex  
Russia & a Cimmerico Bosporo profecti  
pars inter Dravum & Savum confede-  
re, pars in Poloniam progressi & Bohæ-  
miam,

---

*n*) idem lib. 2. p. 302. *o*) idem lib 4. p. 504.  
seq. *p*) Leonardus Aretinus lib. 4. ex eun-  
te. *q*) οἱ ἑφ' αὐτὴν τὴν σάρα παρολαβὲν τὸν  
Κύριον δογματίζουσι, Zonar. fol. 57. *r*) idem  
f. 52. *s*) Paulus Diaconus Hist. Langobard.  
lib. 1. cap. 25.



miam, quæ 1) trium regnorum Slavonici, Poloni & Boheemi initia sunt. Justiniano XXXIIIX. 2) annos regnanti successit JUSTINUS II. Curopalata cognomine, qui pacem cum Persis rumpit tributo denegato, quod majores penderant, 3) indignum ratus Romanos barbaris vestigales esse. Cum Narsetem Gothorum in Italia victorem ad 4) gynæceum (quod eunuchus erat) virtutis metu damnaturus esset, ille injuriæ impatiens Langobardorum regem Alboin ex Pannonia evocavit, qui Italiam Constantinopolitanis eriperet. Hæc initia sunt Langobardorum in Italia imperii, quo Græcis nihil fere, præter Romam & Ravennam urbes, relictum fuit, longe lateque 5) barbarorum

---

1) Diversa agmina Sclavorum erumpentium habet Procopius lib. 3. p. 400. & 408. & lib. 4. p. 486. 2) Zonar. f. 57. 3) quingentas libras penderant annuas, Zonar. f. 58. 4) Paulus Diaconus 2. Langobard. cap. 5. ut puellæ in gynæceo pensa divideret. 5) rex Authari columnam freti Siculi hastæ cuspide attingens dixisse fertur: usque hic erunt Langobardorum fines, idem lib. 3. c. 33.



rum potentia se diffundente, nec unquam postea, quamvis a) Francorum auxilio petito, recuperari Italia, & ad Græcos reduci potuit. Ex eo tempore Italiæ partem a Langobardis reliquam, per b) Exarchos, quorum sedes Ravennæ erat, regebant Græci ad Constantinum Copronymum usque, sub quo Aistulfus, Langobardorum rex ultimo proximus, Ravenna expugnata finem Exarchatus fecit.

Justino II. TIBERIUS CONSTANTINUS, Persarum, c) Mauriti ductu, victor successit, huic ipse MAURITIUS, infelix d) avaritia & e) suppliciiis imperator, suffectus est, qui cum conjugē & liberos f) cædi vidisset, ipse

D 2

nunc

---

a) Francos aliquoties imperator Mauritius evocavit, teste eodem Diacono lib. 3. c. 17 22. 30. 32. b) initium & finem Exarchatus habet Sigonius lib. 1. & 3. de Regno Italiæ, pag. 5. & 75. c) Evagrius lib. 5. cap. 20. d) quod captivos singulos ne dimidio quidem nummo liberabat, Zonar f. 63. e) quæ a Phoca, tyranno & successore, perpeffus est. Zonar. in Phoca f. 64. f) ibidem.



nunc securi cervicem subiecturus, crebro exclamasse fertur: *Justus es DEUS, & justa judicia tua.* Ecclesię hoc seculo mediocris conditio erat Langobardis *g)* Christianam fidem tuentibus, sicut etiam in Hispania Gothis, quamvis hi in Arianismum propenderent. Britannos *b)* in gentilismum relapsos pristinę fidei restituit Gregorius M, pontifex Romanorum. In medio seculo synodus Constantinopoli a Justiniano *i)* convocata priorum decretis confirmatis quędam dogmata *k)* Origenis

---

*g)* Theudelindę reginę, quę Christiana erat, multi Langobardi conversionem sui debent, *P. Diaconus* lib. 4. c. 6. de gestis Langob. *b)* idem lib. 3. cap. 26. *i)* Cedrenus f. 309. *k)* Cedrenus c. 1. Errores autem Origenis erant notante Hieronymo lib. 2. adv. Ruffinum cap. 3. f. 204. *DEI filium creaturam, Spiritum S. ministrum, mundos innumerabiles æternis sibi seculis succedentes, angelos versos in animas hominum; animam Salvatoris fuisse, antequam nasceretur ex Maria: resurrectionem nostrorum corporum sic futuram, ut eadem membra non habeant, &c.* Adde ex Cedreno c. 1. *μετμεψύχων, τέλος τῆς κολέσεως, & demonum redemptionem &c.* Confer. Sulpit. Sever. Dialog. 1, c. 7.



genis condemnavit. Et hæc quinta dicitur Oecumenica.

## S E C U L U M VII.

**P**H O C A S, qui Mauritium occiderat, Syriam *l)* & Palæstinam in vasoribus Persis, nec non Papæ Bonifacio III. honores & titulum Episcopi *m)* Universalis concessit. Hunc tyrannide deturbavit HERACLIUS, quo imperante cum Monotheletarum *n)* hæresis, tum Mohammedis *o)* infauſta religio, ſcele- ratis auspiciis orta, incredibili incremento tyrannidis in dies aucta fuit. Et enim non solum Persiam devicto Hormisda rege subegerunt Mohammedani, sed Syriam quoque, Ægyptum, *p)* Palæstinam, & quam paulo ante Heraclio *q)* Persæ ademerant, Hierosolymam suæ ditioni cum insula *r)* Rhodo adjece- runt **C O N S T A N T E** Heraclii nepote *s)*

D 3

pugna

*l)* Zonar. f. 65. *m)* Paulus Diaconus de Langob. l. 4. c. 37. *n)* Cedrenus f. 345. *o)* idem f. 346. & Zonar. f. 70. *p)* Cedr. f. 350. *q)* Cedren. f. 335. *r)* Zonar. fol 72. *s)* idem c. 1.



pugna navali superato. Quid? quod ipsam Constantinopolim aggressi Saraceni, & quin caperent, vix 1) multis præliis a CONSTANTINO 2) Constantis filio prohibiti sunt. Habita est hoc tempore synodus 3) Constantinopoli, quæ sexta Oecumenica fuit, contra Monotheletas; & sub successore JUSTINIANO II. 4) *Quinisexta*, quæ dicitur, 5) hoc est, quæ Canones quintæ & sextæ adjiciat de castigandis Romanæ Ecclesiæ moribus, unde cum approbare Papa Sergius nollet, imperator misit, qui eum 6) Constantinopolim deportarent, quod factum fuisset, nisi interventu Exarchi, qui Pontificis partes tuebatur, ille ereptus fuisset. Imperator postmodum ab æmulo LEONTIO sub-

---

1) per septennium mari pugnatum fuit, domiti tandem barbari igne Græco, (quem Boxhorn. explicat p. 410.) Zonar. T. 3. f. 73. Cyzicum vero erat refugium Saracenorum. 2) Pogonato cognomine. 3) Cedrenus f. 360. Diaconus 6. 4. 4) Pogonati filio. 5) Gratianus *distinct.* 16. c. *Habeo.* Balsamon Antiochenus cit. a Mornæo *Histor. Papat.* p. 286. 6) Paulus Diaconus libr. 6. Langob. cap. 11.



subrutus & b) naso multatus fuit.

## SE CULUM IIX.

**P**HILIPPICUS Bardanes rerum  
potitur post reductum ex c) Cherso-  
nensi exilio Justinianum. Africam quo-  
que subegerant d) Saraceni, & inde in  
Hispaniam profecti Gothos sedibus ex-  
pellunt, qui in montana fugientes Le-  
gionis, Castellæ & e) Suprarbiæ regna  
instituunt. Post id LEO Isaurus & fi-  
lius CONSTANTINUS Copronymus  
in imagines Ecclesiarum tumultuantur,  
quorū ille Iconomachi cognomē f) pro-  
merit, est, hic nisi concilio Constātin-  
poli g) coacto & imaginib9 damnatis  
conquiescere nō potuit. Motus interea  
ingentes erāt in publica re Saracenis h)  
Constantinopolin denuo oppugnātib9;  
& Bulgaris i) ad Longum k) Murum

D 4

ex-

b) Zonar. f. 76. unde cognomen *ἰνορμήτης*  
habuit. c) Zonar. f. 78. d) Paulus Diae.  
Langob. lib. 6. cap. 10. & 46. e) in Vasco-  
nibus. f) Cedren. f. 370. g) Zonaras T. 3.  
f. 88. h) sub Leonis imperio, Cedrenus f.  
371. i) regnante Copronymo, idem f. 381.  
k) Murus barbaris oppositus ab Anastasio,  
Zonar. f. 48. unius diei itinere distans Con-  
stantinopoli, Procopius in fine l. 3. Hist. Gothic.



excurrendo ingentem prædam abigenis  
 ribus. Saraceni quoque Hispaniæ do-  
 mini in *l*) Aquitaniam, & iterum in *m*)  
 Provinciam excurrunt, bis tamen a  
 Carolo Martello, Magni Caroli avo, re-  
 pulsi, & in altera expeditione ad inter-  
 necionem apud Narbonam *n*) cæsi.  
 Turci *o*) hac tempestate ex Tartaria per  
 Caucasias portas erumpentes primum  
 in Asiæ luce versari coeperunt cum Sa-  
 racenis post multa prælia & pacem &  
 religionis societatem ineuntes. Exar-  
 chatum quoque tollebant Langobardi,  
 & ipsum Pontificem Roma ejecissent,  
 ni Pipinus Francorum ex nova stirpe  
 rex (nam Pharamundi stirps regnare  
 desierat) pacem *p*) inter ipsum & Ai-  
 stul-

*l*) Paulus Diaconus Langob. lib. 6. cap. 46.  
*m*) ibidem cap. 54 *n*) ibidem. Confer de ut-  
 roque prælio Eginhartum in vita Caroli M.  
 ab initio. *o*) Zonaras T. 3 f. 202. ad tem-  
 pora Basilii Porphyrogenneti referre videtur  
 sed Ludovicus Tubero Dalmata in Commen-  
 tario de Temporibus suis lib. VI. p. 140. qui  
 Scythicos annales inspexit, tempori præsen-  
 ti adscribit. *p*) Adelmus Benedictinus in  
 Annal. Franc. ad annum 755. seq. in *Corpore*  
*Franc.*



stulfum *q*) conciliaffet, qua Ravenna & omnis Exarchatus Pontifici dono *r*) dabatur, quod initium est ditionis & dominationis Pontificiæ. Mortuo vero Copronymo & filio Leone Iconomachis, cum IRENE Augusta rem gereret publicam, Niceæ coacta *f*) synodus est, quam falso Oecumenicam VII. dicunt, qua non tantum restitui imagines, sed *r*) coli etiam publice præceptum fuit, ex quo tempore vulgata est Iconolatria, cui ad hunc diem tum Romanenses, tum ipsi *u*) Græci sunt addictissimi; ut ut post concilium *x*) Leo Armenius, *y*) Theophilus aliique Byzantini imperatores graviter animadverterunt in iconolatrias. Inter hæc

D 5

mor-

---

*Franc. f. 384. Sigonius de Regn. Italiæ lib. 3. in Aistulfo. q*) penultimus Langobardorum rex fuit Aistulfus. *r*) vide Adelmi annales c. l. ad annum 756. *f*) Cedrenus f. 387. *i*) decretum enim est εἰκόνας οὐν τῶν σωτηρίων προσηύδα, Cedren. c. l. aut secundum Zonaram f. 89. προσηύδα καὶ σέβειν. *u*) vide Confessionem Critopuli cap. 15. *x*) Zonar. T3. f. 106. *y*) Cedrenus fol. 425.



mortuo regi Pipino successus est filius  
**CAROLUS** victoria z) contra Deside-  
 rium Langobardorum ultimum regem,  
 ac restauratione Occidentalis imperii  
 & Christianæ in Germanis fidei vere  
**MAGNUS**, ob merita vero in Roma-  
 nam Ecclesiam in ipsa Natalitiorum fe-  
 stivitate a Pontifice & populo Romano  
 a) Augustus & Imperator appella-  
 tus.

## SECVLUM IX.

**C**UM rerum potiretur Carolus Ma-  
 gnus, Byzantii **NICEPHORUS**  
 imperabat, vel æquo animo, vel b)  
 necessitate Occidentem Franciscedens,  
 utpote impar tuendo Orienti, nedum  
 vindicandis Occidentalibus provinci-  
 is. Pacem enim annuo c) tributo a  
 Saracenis emit: a Bulgaris vero victus,  
 captus,

---

z) vide Eginhartum in vita Caroli M. a) ibi-  
 dem, in *Corpore Francico* fol. 442. b) Egin-  
 hartus enim addit, *Constantinopolitanos im-  
 peratores super hoc indignatos, id est, super ti-  
 tulo & honoribus Augusti & Imperatoris.* c)  
 Cedrenus fol. 393.



captus, obtruncatus ex *d)* cranio suo dedit victoribus poculum. Etiam MICHAEL Rangabe cum Carolo fœdus *e)* renovat, post infelicem cum *f)* Bulgaris pugnam in monasterium secedens. Sub MICHAELE BALBO Saraceni iterum movent, & Hispanienses quidem Cretam *g)* occupant, inde Cyclades & Peloponnesum infestantes Africani vero Siciliam *h)* invadunt, & ipsas Italiæ oras Calabriam præsertim & Apuliam, opprimunt, postquam Dalmatia *i)* quoque a Byzantinis defecerat. Cum Bulgaris pacem habuit THEODORA imperatrix, quod principis Bulgari *k)* soror capta & Byzantii custodita Christianæ se religioni adixerat, & suis restituta auctor fuerat ad eandem fidem profitendam, sicut paucis post annis Russi *l)* etiam, gens

D 6

bar-

---

*d)* Zonaras fol. 101. *e)* Adelmus Benedictinus ad annum 812. *Michael*, inquit, *pacem a Nicephoro inceptam* (cum Carolo M.) *per legatos confirmabit*, qui imperatorem eum & *Basilium* appellarunt. *f)* Zonar. f. 103. *g)* idem f. 112. seq. *h)* idem f. 136. *i)* idem f. 114. *k)* idem Zonaras fol. 125. *l)* idem fol. 139.



barbara & Tauroscythica, Christo nomen dederunt imperante Basilio Macedone. Non diutina vero pax Bulgarorum fuit, sed LEONEM Philosophum *m)* denuo aggressi in fugam verterunt, qui Turcos *n)* & Vngros Istri accolas ad opem ferendam accersens tristi exemplo barbaris aperuit imperii Romani fores. Croati quoque & Servi, Scythicæ nationis populi, hoc *o)* tempore putantur ea loca occupasse, quæ Croatiae & Serviae regna dicuntur.

## SECVLUM X.

**L** Acer iterum status Italiae erat Saracenis Siciliae dominis longe lateque excurrentibus. CONSTANTINUS IIX. Byzantii imperator Apuliam & Calab-

---

*m)* Zonaras f. 142. *n)* idem cit. loco. *Ungri* vero, sive *Hungari*, a Zonara etiam *Turci* vocantur quod ex eadem patria profecti sunt: sed fol. 243. ad differentiam dicuntur τῆς πρὸς ἡσπέρου, *Turci Occidentales*. *o)* Confirmat Zonaras f. 152. quod ἡ, & χροβάται, id est, est,



Calabriam vindicabat : Langobardorum reliquiæ Beneventum tuebantur. In Græcia etiam dubio Marte pugnatum fuit, & Constantini *p*) classis a Cretensibus Saracenis submersa. Post hæc meliore fortuna usi sunt NICEPHORUS PHOCAS, *q*) Cretam, Ciliciam & magnam Syriæ partem victis & ejectis Agarenis recuperans: & JOANNES TZIMISCA Russorum, Scytharum & Saracenorum *r*) terror auxit res recuperatas: etiam BASILIUS Porphyrogennetus *s*) Iberos, Phœnices, Syros & *t*) Bulgaros in potestatem Romanorum redigens. Hac tempestate Vngri, quos Turcos *u*) subinde dicunt illius ætatis scriptores, ejurata idololatria Christianam *x*) fidem professi scribuntur. In

D 7

Pan-

---

est, *Crabati* Simeonem Bulgarorum hoc tempore principem acie devicerint. & fo 228. in Michaelē Duce: *χρημάτων ἔθνος, ἔς δὲ καὶ Σέρβους τινὲς καλῶσι.* *p*) Zonaras fol. 156. *q*) idem fol. 161. *r*) Cedrenus f. 547. seqq. *s*) Zonar. fol. 178. *t*) idem f. 181. *u*) vide notas ad seculum IX. *x*) sub Constantino IIX. Zonar. f. 155.



Pannonia eos & ad Istrum sedes habuisse cum *y*) Cedrenus, tum *z*) Zonaras confirmant.

## SECVLUM XI.

**S**uperiore seculo virtus Græcis videbatur rediisse, nunc iterum ignavia perduntur, quæcunque tot præliis & periculis recepta erant. Etenim **CONSTANTINO MONOMACHO** Normanni Apuliam, Turci *a*) Orientis provincias eripiunt : **CONSTANTINI DUCÆ** exercitum delent *b*) **VZI**, Scytharum gens, & ex Macedonia usque prædas abigunt, quanquam mox omnes deleti ab Vngris sunt & Scythis Pazinacis. **ISAACIUS** quidem **COMNENUS** *c*) Pazinacas & Vngros, ut pacem peterent, adegerat, & **ROMANUS**

NUS

---

*y*) Cedren. f. 548. οἱ περὶ δὺσιν ἐν παννονίᾳ κατὰ κληρονομίαν τῶν τούρκων. *z*) Zonaras in Leone Philosopho f. 142. τῶν τούρκων οἱ περὶ τὸν Ἰστρὸν, οἱ καὶ ἔγγιστοι καλεῖνται. *a*) Zonar. f. 205. *b*) idem f. 217. *c*) Pazinaca Vngrorum ad Danubium vicini.



NUS DIOGENES ( quem Augusta  
maritum legerat CONSTANTINO  
d) mortuo , aliquamdiu represserat  
Sultanum victricibus armis ad Euphra-  
tem e) progressus : gravia tamē post hæc  
passus est , nec Iconium f) solum , fu-  
turam Sultani regiam , aut solos Archi-  
strategos g) a Turcis interceptos vidit,  
sed ipse quoque captus ab iisdem , &  
oculis orbatus a b) suis fuit. Ex hoc  
tempore cum MICHAEL i) DUCÆ  
imperaret , non amplius prædabundi  
k) provincias Turci invadebant , sed ut  
subacturi & possessuri , cum nemo esset,  
qui resisteret. Non a longinquo nunc  
hostis terrebat , sed Bithyniam ingres-  
sus l) Niceam & alia oppida occupavit,  
nec

---

d) Zonaras T. 3. f. 218. seqq. e) idem f. 220.  
seq. f) idem f. 222. g) duces capti sunt  
Manuel Comnenus, imperatoris ex fratre ne-  
pos , & Basilacius , Zonar. b) Captus a  
Turcis , sed certis conditionibus dimissus : a  
suis vero privatur oculis. Benignior ergo  
hostis fuit , quam domestici. Zonar. i) Du-  
cæ filius , ὁ τῆς Δύκας. k) sunt Zonarae verba  
f. 227. l) unde in Bello Sacro recuperanda  
erat.



nec ALEXIUS *m*) Comnenus prohibere potuit, quin insulæ deficerent *n*) partim, partim ab hostibus subigerentur. Non enim à Turcis solis premebatur, sed a Francis *o*) quoque ad Epidamnum victus & castris exutus fuit. Exeunte hoc seculo Bellum Sacrum seu expeditio in Terram Sanctam in concilio Claromontensi *p*) decreta fuit. Multi ergo principes duce Godefredo Bulionæ *q*) ex Europa in Asiam trajecerunt, & Nicea Bithyniæ operoso *r*) obfidio eapta per Pisidiam & Lycaoniam subinde cum Turcis confligentes transfrent, & *s*) Tarsum cum aliis Ciliciæ oppidis expugnant. Edeffeni *t*) Baldui-

---

*m*) qui Nicephorum Botaniatem, Michaelis successorem, dejecerat. *n*) Zonar. f. 236. *o*) Zonaras in Alexio Comneno f. 236. a Roberto Francorum duce victum tradit. *p*) Wilhelmus, Tyrius Archiepiscopus lib. 1. Belli Sacri cap. 14. & 15. Aimoinus lib. 5. c. 48. *q*) Lotharingiæ principe. *r*) navibus per terram e mari Constantinopolitano in lacum deductis, qui Occidentale urbis latus tutum præstabat, *V* Wilhelm. Tyr. lib. 3. cap. 6. *s*) idem cap. 22. *t*) idem lib. 4. c. 2.



duinum ducis fratrem invitabant urbem regiam ipsi dedentes, cum major exercitus pars Antiochiam, quæ ad Orontem est, obsiderent, & post multos labores inexpugnabilem proditione civis <sup>u)</sup> Christiani caperent, eamque contra Turcos, qui recuperatum ibant, turpem quamvis famam perpeffi, fortiter defenderent. Inde Hierosolymâ <sup>x)</sup> expugnata GODOFREDUM, qui dux militiæ fuerat, Regem <sup>y)</sup> constituunt, cui post annum defuncto frater BALDUINUS successit princeps Edesenorum. Hæc origo est Christianorum Hierosolymitani regni, quod octo tantum regibus mansit, duravitque annos LXXXVIII. Circa hæc tempora floruisse putatur <sup>z)</sup> *Theophylactus* Bulgariae episcopus, qui Chrysostomi Commentarios in compendiũ feliciter red-egit.

S E.

---

<sup>u)</sup> ibid. lib. 5. cap. 21. <sup>x)</sup> lib. 8. cap. 18. <sup>y)</sup> idem Wilhelmus lib. 9. c. 2. <sup>z)</sup> controversam Theophylacti ætatem definit Historia Eccl. Gothan. p. 544.



## SECVLVM XII.

Cum Balduinus I. rebus præesset, nova *a)* expeditio in Terram Sanctam ex Occidente suscipitur, sed fraude Alexii Imperatoris L. millia hominum in Asia Minore cæduntur. Regno post hæc accesserunt *b)* Antipatris, Cæsarea, Ptolemæis, Tripolis, Berytus, & auxiliantibus Danorum *c)* Norvegorumque navigiis potens urbs *Sidon*, Saracenis hostibus aliquoties in fugam *d)* conversis, quos cum in Ægyptum usque persequeretur, ipsi expeditioni Rex *e)* immoritur, cui sufficitur BALDUINUS II. ancipiti *f)* Marte cum Turcis ad Antiochiam pugnans, & tandem *g)* captus, sed post XLIX. menses datis obsidibus & ingenti redemptionis pre-

---

*a)* Wilh. Tyrius lib. 10. c. 12. & 13. *b)* expeditiones has obsidionales habet *Tyrius* lib. 10. à cap. 14. & lib. 11. cap. 10. 13. *c)* lib. 11. c. 14. *d)* lib. 10. c. 22. lib. 11. c. 3. *e)* lib. 11. cap. 31. *f)* vincitur & vincit lib. 12. cap. 10. & 12. *g)* bis capitur lib. 12. c. 17. & 19.



pretio *b)* promisso libertati redditus. Antequam vero liberaretur, Venetorum ope *i)* *Tyrus* in deditiōem redacta fuit. Mortuo Balduino successor datus est gener *Fulco*, Andegavensis Comes, qui undecimo regni anno equo præcipitatus, dum leporem *k)* venatur, diem suum obiit. Filius vero *Baldunus III.* tredecim annorum puer, *l)* *Edeffam* amittit, quo tempore *Conradus III.* Imperator, & *Ludovicus VII.* Galliaæ Rex, in Palæstinam moturi, ille quidem ad *Iconium*, hic inter *Laodiceam* & *Attaliam* opprimuntur *m)* ferme a Turcorum insidiis. Qui evaserant periculo, *Damascum* *n)* obsident, sed quod duces ab hostibus pecunia corrupti erant, solvitur obsidio, & infectis rebus *o)* *Conradus* in patriam revertitur. Rex *Baldunus III.* *Ascalone* in potestatem redacta apud *Tripolim*

---

*b)* 100000. Michaelitarum, quod monetae genus erat. *i)* *Wilh. Tyrius* lib. 13. c. 6. seqq. *k)* idem lib. 15 c. 27. *l)* lib. 16. cap. 5. *m)* ibid. cap. 21. & 25. *n)* lib. 17. cap. 4. 5. & 6. *o)* ibid. cap. 8.



lim medici, p) ut putabatur, perfidia  
 extinguitur regnum fratri A M A L R I C O  
 relinquens, qui Ægyptiis ad petendam  
 pacem q) coactis fato concessit, cuius  
 filius B A L D U I N U S I V. à Saladino Æ-  
 gypti domino ad Sidonam r) victus rerum  
 summam, quam per morbum admi-  
 nistrare nequibat, Joppensi Comiti  
 commisit, iterumque abstulit, ut s) ne-  
 poti B A L D U I N O V. conferret, quæ  
 res implacabile inter Reges & Joppen-  
 sem odium t) concitavit, quo regnum  
 brevi post tempore eversum est peni-  
 tus. Saladinus enim ducum discordia  
 invitatus Hierosolymam cum præcipu-  
 is urbibus occupavit, & actum fuisset  
 de Christianorum rebus, nisi ex Euro-  
 pa auxilia opportuna subvenissent, qui-  
 bus Ptolemais, Tyrus & aliæ Christia-  
 ni

---

p) pillulas venenatas medicus a Christiana  
 religione alienus dederat, unde invehitur  
 noster Wilhelmus in morem sui temporis,  
 quo Judæis potius & Mohammedanis medi-  
 cis, quam Christianis, magnatum vita con-  
 credebatur. q) lib. 19. cap. 5. 26. seq. r)  
 lib. 21. cap. 29. s) lib. 22. cap. 25. & 29.  
 t) idem Tyrius lib. 23. cap. 1.



ni regni partes sunt recuperatae. Hierosolyma verò manebat in potestate barbarorum. Dum hæc in Palæstina geruntur, Byzantii imperabat JOANNES Comnenus, Alexii filius, Hunnorum u) in Pannonia victor, Scytharum quoque Thraciam invadentium domitor, qui in Cilicia, ex Syria redux, inter x) venandum vulneratus interiit. Hunc excepit filius MANUEL, Conrado III. Romano Imperatori affinitate y) junctus, sed subdolus & fraudulentus, sacrae expeditionis milites panibus ex farina & z) gypso compositis occidens, postea victus a Sultano a) Iconiensi. Nec alio in hanc militiam animo successores erant, sed ANDRONICUS  
Co-

---

u) Nicetas Choniates in Joanne cap. 4. & 5.  
 x) Wilhelmus Tyrius lib. 15. cap. 23. y) Comes enim Sulzbacensis Berengarius duos Imperatores, Orientis & Occidentis, vidit generos. z) Nicetas lib. 1. de Manuele c. 5. p. 74. τοῖς ἀλφίτοις ἐμφύργνις τίτανον ἐποίησεν τὰ σῖτα ὀλίθρια. Subjicit autem, sibi certo non constare, an imperatore jubente, ὡς ἐλίγετο, ut fama erat, hoc factum sit. a) idem lib. 6. Vitæ Manuelis.



COMNENUS, pueri Alexii pro tutore  
*b)* percussor, Constantinopoli passim  
*c)* Latinos trucidavit, ISAACIUS AN-  
 GELUS fœdere cum *d)* Saracenis percus-  
 so grave *e)* damnum intulit Palæstinæ  
 recuperatoribus, quamvis neutri ces-  
 serit impune, sed ille *f)* horribili vitæ  
exitu; hic etiam oculorum orbitate *g)*  
pœnas perfidiæ dederit. Afflictæ tum  
 erant Christianorum res in Oriente,  
 cum Fridericus Barbarossa in Asiam  
 movit, sed vix Syriam ingressus flumi-  
 nis *b)* vorticibus hauritur & suffocatur,  
 omnibus immodicum sui desiderium  
 relinquens. Filius persequens cur-  
 sum

---

*b)* idem in vita Alexii hujus circa finem seu  
 cap. 18. *c)* ibidem cap. 11. *d)* idem lib.  
 2. Vitæ Isaacii Ang. cap. 5. *e)* ibidem cap. 30.  
*f)* Andronici exitium sic Nicetas lib. 2. c. 12.  
 describit, quod verberibus multis affectus,  
 manu & altero oculo truncatus, scabioso ca-  
 melo per urbem vectus & stercore contamina-  
 tus, tandem pedibus suspensus & lenta sic  
 morte extinctus fuerit. Inter tot mala nul-  
 lam vocem, nisi constantiæ plenam, edidisse;  
*Domine miserere, & quid calamum contritum*  
*infringitis?* *g)* idem Nicetas lib. 3. de Isaac.  
 Ang. c. 9. *b)* idem lib. 2. cap. 8.



sum, quem pater instituerat, Phœnicia & Coelesyria recuperata huic expeditioni immoritur, i) cujus copiae in patriam navibus remearunt. Hac tempestate floruit *Bernhardus* Clarevallis Abbas; & *Anselmus*, pietate & libris evulgatis illustres. Etiam Judæorum studia diu sepulta excitabantur a R. *Salomone* Jarchi, R. *Narban* auctore *A-ruch*, *Aben Esra*, *Kimchiis*, patre & filiis, *Maimonide*, & qui horum vestigiis institerunt. Eodem tempore impostor k) quidam & PseudoMessias, cui nomen erat David al David, supplicio in Persia affectus est.

## SÆCULUM XIII.

FRanci & Veneti auxilia in Palæstinam deducentes obviam habebant in itinere l) Alexium puerum Isaacii Angeli filium, de injuriis ALEXII patris

i) Nicetas cit. loc. k) R. Ganz in *Zemach David* ad annum 4895. Adde notas *Vorstii*. l) Nicetas iib. 3. de *Alexio Comneno* cap. 9. *Sabellicus Hist. Venet. Decad. i. lib. 8.*



trui, qui fratre suppresso imperium in-  
 vaserat, graviter conquerentem. Moti  
 indignitate rei principes Constantino-  
 polim expugnant, & ALEXIO V. pa-  
 ternum solium restitunt. Post hæc  
 puero imperatore per *m*) Murzulum  
 sublato Franci cum Venetis denuo *n*)  
 expugnant Constantinopolim, & BAL-  
 DUINO Flandriæ Comite in solium e-  
 vecto Græcum imperium ad Latinos  
 transferunt sub initum seculi, quod de-  
 scribendum sumsimus. Contra hunc  
 Niceæ in Asia imperator salutatus est  
 Theodorus Lascari, *o*) Alexii fugitivi  
 gener, David vero & Alexius, Andro-  
 nici

---

*m*) idem in Vita hujus pueri circa finem. *Mur-*  
*zulus* verò cognomento dicebatur, cui pro-  
 prium nomen erat Alexius Ducas, *ibidem cap.*  
*4.* *n*) Nicetas Choniates in *Murzulo cap. 2.*  
*Sabellicus Hist. Venet. Dec. 1. lib. 8.* *o*) Cho-  
 niates in *Balduino cap. 10.* *Nicephoras Gre-*  
*goras lib. 1.* In imperio Niceno *Theodoro La-*  
*scari* post 18. annos successit *Joannes* gener 33.  
 annos imperans huic *Theodorus II.* 3. anno-  
 rum imperator, cujus filium impuberem op-  
 pressit *Michael Palæologus.* *Gregoras lib. prio-*  
*ribus,* & *Ducas Michael Hist. Byzant.*  
*cap. 2.*



nici tyranni nepotes, p) Ponticam Asi-  
am occuparunt, ille quidem Heracleam  
& Paphlagoniam; hic Trapezuntem, Si-  
nópen & Colchidem, quæ imperii Tra-  
pezuntini prima initia fuerunt. Sic di-  
visum erat Orientis imperium, ut ta-  
men primæ partes & regia Constantini  
urbs penes Latinos ad quintum suc-  
cessorem manerent. Hos insigniter af-  
fixerunt Lascarini, qui Niceæ domi-  
nabantur, occasione Urbis recuperan-  
dæ tamdiu inhiantes, donec BALDU-  
INO II. expulso cum Urbe imperium ad  
Græcos reduxerunt q) MICHAELE  
PALAEOLOGO illud capeffente.

Major Latinorum in Oriente clades  
erat. Etsi enim Fridericus II. Rom.  
imperator Hierosolymam barbaris r)  
E denuo

---

p) Nicetas Choniates cit. loc. q) Nicepho-  
rus Gregoras lib. 4. qui addit Michaelem ty-  
rannice imperium invasisse, postquam legiti-  
mum hæredem Joannem, Theodori Lascari,  
ultimi Nicenorum imperatoris filium, op-  
presserat primum, deinde prorsus excæca-  
verat. r) non vi, sed pacificatione, Fazellus  
*Hist. Sicul. dec. 2, lib. 8, c. 2.*



denuo extorserat, tamen eadem post XVI. annos unâ cum Tripoli, Sidone, Beryto, Tyro & ceteris oppidis amissa fuit Ægyptio Sultano, qui Saladino successerat, ubique contra Christianos victore. Sola Ptolemæis restabat arx belli, quæ intestinis discordiis fatigata tandem quoque in potestatem hostium concessit, Christianis, qui supererant, in Armeniam, Ciliciam, Cyprum, & nescio quo non, diffugientibus. Sic expiravit /) Christianorum in Oriente imperium anno post Bulionæi victoriam CXCVI. seculi vero præsentis primo & nonagesimo. Siciliae clades, quæ Vesperis t) Sicularum nomen dedit, novennio antecesserat. Insulam enim Belisario duce ejeētis Gothis ad Græcos

---

J) de exitu dominationis Christianorum in Oriente scripsit Marinus Sanutus Torfellus lib. 3. parte 12. cap. 20. 21. 22. Adde *Boxhornii Hist. Univers.* p. 806. t) Siciliae fata Gothica, Saracenicæ, Normannicæ, Germanicæ, Gallicæ describit *Thomas Fazellus Decade Rerum Sicularum* posteriore a lib. 5. ad 8. *Vesperas vero funestas* exhibet lib. 8. cap. 4.



cos reductam Saraceni occupaverant: post hos Galli Normanni subigunt eam, amittunt Suevis invadentibus, iterum recuperant. Tandem Arragoniæ rex, Gallis paschatis vespera trucidatis, sibi subjecit, a quo ad Castilianos postmodum translata est.

Etiam Occidentis status lacer hoc tempore fuerat propter Imperatorum & Pontificum Romanorum atrocissima dissidia, quæ tantas in Europa turbas dederunt, ut Scythæ Asiatici inde<sup>u)</sup> spem opprimendæ Europæ conceperint. Quippe in Moscoviam, Poloniam, Hungariam & Silesiam irrumpentes omnia ferro flammaque vastabant, nec nisi incredibili strage edita in patriam reversi sunt. Schisma quoque inter Græcam Latinamque Ecclesias in dies crescebat, cujus præcipua causa

E 2

fuit

---

u) Dissidia tempore Friderici II. aliquoties a Pontifice proscripti ansam dedisse Tartarorum excursionibus testatur *Abentinus lib. 7. Annal. Bojov.* qui graphice ibidem barbarorum savitiam & furorem describit.



fuit  $\alpha$ ) primatus, quem Romani præsu-  
les præ se ferebant cum imperio in uni-  
versam Christi Ecclesiam. Accessit,  
quod Latini Patres inconsultis Græcis  
Oecumenico Symbolo adjecerant ver-  
bum FILIOQUE. Tentata quidem u-  
nio fuit in Lugdunensi concilio, etiam  
mutuis inter Imperatorem & Papam  $\gamma$ )  
legationibus: sed infumum abiit omnis  
conciliatio, quod nimis rigide prima-  
tum Rom. Pontifices urgerent.

## SECVLUM XIV.

**A** Michaele Palæologo ad ANDRO-  
NICOS  $\alpha$ ) avum & nepotem dis-  
cor-

---

$\alpha$ ) Præcipuam hanc schismatis causam fuisse,  
patet ex mutuis epistolis Papæ Gregorii & Pa-  
triarchæ Germani, quas exhibet Mornæus  
*Histor. Papatus* p. 845. De Symboli vero addi-  
tamento levius tum temporis contendebatur  
observante & mirante Nicephoro Gregora i-  
nit. lib. 5.  $\gamma$ ) Gregoras c. l. tria inquit ur-  
sisse Pontificis legatos, 1. *Papæ in litania men-  
tionem*: 2. *appellationem ad Pontificem Rom.* 3.  
*τὸ πρῶτον ἐν ἅπασιν, primatum Papæ omni-  
modum.* Sed Clerus Byzantinus respuit has  
pacis & unionis conditiones.  $\alpha$ ) Androni-  
cus avus erat Michaelis Palæologi filius. Inter  
hunc



cordes & de imperio litigantes Græcorum res pervenerant, sed male pacatæ propter Turcorum in Græciam Thraciamque irruptiones. Seniore Andronico mortuo solus junior imperavit, quem excepit a) CANTACUZENUS tutor Joannis Palæologi, in illud tempus incidens, quo mira incrementa capiebat Turcorum potentia. *Osman* enim domus regnatricis fundator b) Prusiam ceperat, ut regia esset Turcorum: filius *Orchanes* c) Nicéam expugnauerat: nepos *Soleiman* d) Callipolin Chersonesi subegit, ut tanquam ex arce & specula toti Thraciæ insidiari posset. Sed hic eodem cum patre tem-

E 3

pore

hunc & nepotem intercessit Michael II. sed ante patrem extinctus. De discordiis horum habet Gregoras l. 8. & 9. a) Cantacuzenus Turcorum auxilio imperium invasit, quippe filiam Orchani Turcorum regi in matrimonium dederat, *Laonicus lib. 1. f. 12. Ducas cap. 9. Histor. Byzant.* b) Chalcocondyles lib. 1. fol. 9. Annales Turcici a Podesta, Cas. Majest. Orient. Lingg. Secretario, latine conversi c. 2. c) regnante Andronico II. Niceph. Gregoras lib. 9. f. 322. d) Annal. Turc. cap. 3. fin.



pore extinctus regnum fratri *Amuradi* reliquit, qui a JOANNE Palæologo (nam Cantacuzenus in monasterium detrusus erat) in societatem allectus perpulcrum invenit opprimendæ Europæ occasionem, nec Bulgaros solum & Servos afflixit graviter, sed regni quoque sedem, quæ Prusiæ adhuc fuerat, e) Adrianopoli fixam constituit. Sero pœnituit imperatorem societatis, & in Italiam Galliamque profectus pro auxilio, quod petierat, æris alieni causa apud Venetos detentus fuit, nec filius ANDRONICUS III. de liberando patre cogitavit, a quo luminum usu, sed levius, ob rebellionem multatus fuerat. Auxit Turcorum res Græcorum discordia, quam aluit f) *Bajazetes*, ut omnes subjugum redigeret. Etenim Andronicum adjuvit, ut patri (Emanuelis filii ope liberato) imperium auferret, & cum fratre in custodiam daret. MOX EMANUEL e custodia elapsus fratrem ejusdem  
Tur-

e) ibidem c. 4. f) de artibus Bajazetis Chalcocond. lib. 2. f. 32. seq. at de Joannis societate Turcica & captivitate Veneta l. 1. f. 19. & 25.



Turci ope de folio rursus dejecit, & vere precarium imperium tenuit tributum ingens & bellorum societatem pollicitus. Cum vero grave jugum non ferret Emanuel, Bajazetes (à Joanne g) etiam Andronici filio instigatus) Byzantii obsidionem animo molitur, sed in Peloponneso adhuc hærens nuncium accipit de Sigismundo Hungariæ rege in Mœsiam cum magnis copiis, sed infauftis auspiciis, adventante. Victus enim est b) Sigismundus ad Nicopolim, Mœsiæ propter Danubium urbem, & Bajazetes elator victoria factus Constantinopolim decennali i) obsidione claudebat, & citra dubium cepisset tandem, nisi singulari fato Tamerlanes Scythia k) in Armeniam & Cappadociam irrupisset, cui obviam factus Bajazetes tanta clade prosternitur ad l) Ancyram

E 4

Gala-

g) Chalcocondyl. l. 2. f. 42 b) idem c. l. 2. f. 39. & Annal. Turc. a Podesta latinitate donati init. c. 5. i) Chalcocondyles c. l. fol. 43. vocat μικράν πολιορκίαν ἐπὶ δέκα ἔτη. k) evocatus ab Asiæ ducibus, quibus sua Bajazetes eripuerat. l) *Ἰνκνραμ* vocat Chalcocondyles, at Annales *Ἀγκυρίαν*.



Galatiæ oppidum, ut ipse non solum captus & ferreæ *m*) cavæ inclusus, sed de Turcorum rebus desperatum sit penitus. Victor Tamerlanes Syriam, Ægyptum, Mesopotamiam subegit, & Persidem quoq; regia stirpe omni obtruncata suo imperio addidit. Tandem orbis terror libidine & *n*) intemperantia extinctus est.

### SECVLUM XV.

Illorum Tamerlanis discordia *o*) accidit, ut subjugati populi sensim deficerent, in primis Turci potentiam pristinam & nominis decus recuperarent. Ecclesiæ res erant afflictissimæ, & in pejus semper ruebant, quo plura concilia à Romanis præsulibus convocabantur. Constantiensi enim Joannes Hussus purioris doctrinæ restaurator damnatus & crematus est: Florentino, cui JOANNES II. Palæologus cum Patriarcha interfuit, tentata quidem *p*) unio fuit  
inter

*m*) Annal. Turc. c. 5. *n*) Chalcocondyl. l. 3. exeunte. *o*) idem c. 1. *p*) idem lib. 6. fol. 155. Difficultatem conciliationi in limine  
attu-



inter Græcos & Latinos, imperatore auxilii spe contra Turcos impetrandi largiter concedente: sed in irritum reciderunt omnia Marco *g)* Ephesino episcopo fortissime cum aliis contradicente.

Turcorum res post Bajazetis cladem restituebat filius *Mohammed I.* & post hunc nepos *Amurad II.* Græcis ea causa offensus, quod à partibus *r)* Mustapharum, patris & fratris, qui regnum ambiebant, non occulte steterant. Hic *f)* Senderoviam, Servia caput, vi & armis expugnavit, Belgrad vero ferme iam captum deserere coactus est, Hunniadis *t)* etiam virtute non semel prælio victus. Igitur pace facta cum Vladislao in

E 5

Asi-

attulit Papæ superbia pedum exosulationem rigide a Græcis postulantis. vid. Acta Concilii Græca, quæ Mornæus è Regia Biblioth. suæ *Historia Papatus* p. 1221. inseruit. *g)* tam in Concilio, *Michael. Duc. Hist. Byzant. c. 31.* quam post Concilium, Constantinopoli, apud legatos Pontificis Romani, *Chalcocondyl. l. 6. f. 156.* *r)* Chalcocondyl. lib. 5. initio & fol. 124. Patrus verò erat e mentitus & fictus: frater autem genuinus. *f)* post multam oppugnationem deditioe capta fuit, *Chalcocondyl. l. 5. f. 131.* *t)* idem lib. 5. & 6.



Asiam contra Caramanum *u*) Turcicas provincias infestantem profectus perfidia Hungariæ regis, qui bellum contra *x*) fœdus renovabat, revocatus est, & ad *y*) Varnam per triduum pugnando ita attrivit Christianorum copias, ut tristi documento omnibus fuerint, nunquam fidem impune frangi. Victor in Græciam regressus omnia sibi subiciebat, nec quicquam reliqui fecisset, nisi *z*) *Scanderbegi* virtus moræ & impedimento fuisset. Is filius erat Epirotæ principis, obses Turcis datus, & invitis parentibus Mohammedana religione imbutus. Post hæc exercitui præfectus potentiam Turcorum incredibili felicitate

---

*u*) Ciliciæ despotam. *x*) Legatus Pontificis (Julianus Cardinalis) Pannonæ ad bellum contra Turcos suscipiendum cohortabatur, & ὄρκον, ὃς μέγιστος ἦν ἀυλοῖς ἐν ταῖς σπονδαῖς, ἐλευσῶσα ἐπιλεγῆναι τῆ ἀρχιερέως, *jurandum*, quod maximum erat in fœdere, ex Pontificis mandato solvebat, dicente Chalcocondyle lib. 6. fin. *y*) Varnense prælium scripsit Chalcocond. l. 7. init. *z*) Georgius Castriotes a Turcis propter felicitatem bell-

cas



tate augebat. Tandem memor Christianæ originis & avitæ libertatis in bello cum Hunniade fugam simulans paternum munimentum Crojamstratagemate recuperavit. Vnde per XXIV. annos Macedoniam, Epirum & Illyrici partem feliciter rexit, & contra Turcorum tyrannidem heroice defendit. Sed cum vita Scanderbegi ipsum quoque regnum ejus extinctum fuit. Inter hæc Amuradi filius *Mohammed II.* successit natus in excidium Christiani Græcorum imperii. Etenim Constantino-  
 poli <sup>a)</sup> expugnata CONSTANTINUM Palæologum ultimum imperatorem obtruncavit, & sic Orientale imperium a Romano avulsum Turcorum subjecit potestati. Supererat Trapezuntinum regnum, cui præfuit id temporis David Comnenus, subnixus affinitate Vsumcasani Armenia & Cappadociæ domi-  
 E 6 ni,

---

cam *Scanderbeg*, id est, Alexander Magnus vocatus est. Ejus gestas res attingit Chalcocondyles lib. 7. fusius enarrat Martinus Barletius, a quo Boxhorn. mutuatus est. <sup>a)</sup> Chalcocond. lib. 8. Ducas Histor. Byzant. cap. 39.



ni, cui *b)* consobrinam in matrimonium dederat. Verum Sinópe captâ, quæ Paphlagoniæ metropolis erat, & Vsumcasano ad *c)* pacis fœdera compulso ipsam Trapezuntem potius minis & legatione, quam vi & armis *d)* in dedicationem redegit, regem Davidem cum liberis Byzantium misit, ibique crudelissime interfecit, Cilicia quoq; eodem victoriæ cursu in potestatem redacta. Etiam Lesbo, Lemmo & Eubœa insulis potitus ipsam Italiam Hydrunte *e)* expugnata terrore opplevit, & plures arces *f)* Hungariæ delendo Moldaviam *g)* quoque fuso Waivvodæ exercitu, vastavit, majora mala Christianis illaturus,

---

*b)* Chalcocondyles lib. 9. *c)* ita Chalcocondyles f. 262. cit. loco, matre Vsumcasani pacem impetrante: at Annales Turc. acie victum Vsumcasanum tradunt, cap. 11. *d)* ita Ducæ Historia Byzantina cap. 45. At suburbia incensa ab hoste fuisse tradit Chalcocondyles lib. 9. f. 262. in ceteris Ducæ consentiens: sed Boxhorn. p. 1003. Annales Persicos citat, qui terra marique infestissime oppugnatam Trapezuntem dicunt. *e)* Annal. Turc. Podesta cap. 11. fin. Pandectæ Turc. Leunclav. n. 153. *f)* Podesta c. 1. *g)* ibidem.



rus, nisi repentina morte ad Nicomediam præventus esset. Sic mirum in modum crevit Turcorum potentia majus subsequenti seculo incrementum acceptura. Ne tamen illa immodica fieret, DEO bene juvante Venetorum Respublica non mediocriter obstetit, de qua quod nihil dictum est, operæ pretium erit originem & incrementa paucissimis delineare. Hunnici *b)* belli terrore nobiliores quidam *i)* Aquilejæ & Patavii cives in insulis sinus Adriatici civitatis novæ fundamenta jecerunt, quæ eo citius crevit, quo tutiores erant insulani recessus, & Italiæ status in dies turbulentior. Tanta nunc Urbis potentia evaserat, ut cum Pipino *k)* Francorum rege bello decertare, & suam libertatem contra quoscunque

E 7

tue-

*b)* incertus annus conditæ urbis. Multi statuunt CCCCXXI. alii interjecto quodam tempore conditam ajunt. *Sabellicus* Hist. Venet. decad. 1. lib. 1. pag. 4. Adde *Fazellum* *Res. Sicul.* decade 2. lib. 5. c. 3. qui ponit annum CCCCCL. quo tempore Attilas Italiam vexandam susceperat. *i)* idem pag. 5. *k)* idem lib. 2.



tueri potuerit , l) Saracenos quoque Mauros , qui Italiæ partem tenebant , feliciter exterminare. Hanc libertatem imperatores Carolus & Nicephorus m) confirmarunt, Rempubl. Venetam eximentes , cum de imperii divisione transfigerent. Inprimis auctæ sunt Venetorum res Sacro , quod dicitur, bello, utpote quo non solum mercatura Orientalis stabilita fuit, sed plurimæ etiam Ægæi maris insulæ iisdem traditæ tanquam præmium bis captæ n) Constantinopoleos & imperii Græcorum ad Latinos translati. Sic viribus aucta Respublica moræ sæpe & impedimento fuit classe instructissima , ne nimium excresceret Turcorum potentia, nec tantum in mari o) eosdem sæpe, sed

---

l) ibidem. m) idem Sabellicus lib. 2. p. 22.  
 n) primum pro Alexio puero restituendo ; deinde ulciscendo , cum interfectus erat a Murzuflo , bis Veneti cum Francis Byzantium expugnarunt , & præmium sociæ militiæ a Balduino Flandro , primo Latino imperatore, insulas Ægæi maris non contempnas acceperrunt. o) qualis fuit illa celebris in Ionio



sed etiam terrestribus præliis p) fortissime quandoque vicit, quamvis non parvis etiam cladibus affecta insulas pene multas Ægæi maris amiserit.

---

nio mari victoria Petro Zeno duce, de qua *Boxhorn. p. 859.* circa annum 1348. & alterum prælium ad Callipolim præclare factum scriptore *Duca Hist. Byzant. c. 21. f. 61. p)* quale geminum illud prælium fuit ad Neapolin Peloponnesi commissum, quod describit *Sabellicus Hist. Venet. decad. 3. lib. 8.*





HISTORIA

*inter*

*Antiquam & Novam*

MEDIA

*in*

*Tabulis Synopticis.*



# Tabula I. Imperatorum Rom.

## Seculo I. Christiano.

Octavius AVGVSTVS *pacificus.*

Cl. TIBERIUS *simulator.*

Cajus CALIGVLA *crudelis & superbg.*

CLAVDIVS Cæsar *stolidus.*

Domitius NERO *parricida.*

GALBA

OTHO

VITELLIUS

} *vix degustantes imperiũ.*

T. VESPASIANVS

Flavius TITVS

} *Judeæ victores.*

Flav. DOMITIANVS *tyrannus.*

Coccejus NERVA

Vlpivs TRAJANVS

} *optimi.*

\* Julium omitto, quod ante Christiana secula imperabit: etiam Aurelius Victor eum negligit, forsan quod imperium minus tutum pacatumque habuit. Augustus a Christo nato regnabit 14. annos; a victo Antonio 44. Trajani initia in hoc seculum incidunt; major imperii pars in II. seculum rejicienda.

Ta-



Tab. II. Imperatorum Rom.

Seculo II.

ADRIANVS *domitor rebellium  
Judeorum.*

ANTONINVS PIVS, *nulli acerbus.*

M. ANTONINVS *Philosophus, &  
Luc. VERVS, ille studiis  
Philosophia; hic Parthico  
bello; uterque Christianorum  
persecutione notus.*

COMMODOVS *minime Commo-  
dus.*

PERTINAX *longiore vita & im-  
perio dignus.*

Didius JULIANVS *emtum imperi-  
um statim amittit.*

SEVERVS *Britannia victor,  
etiam Nigri & Albini  
Anticæsarum.*

Tab. III.



Tabula III. Imperatorum Rom.

*Seculo III.*

CARACALLA & GETA, *fratres discordes.*

MACRINVS, *obscurus genere & brevitate imperii.*

Antoninus HELIAGABALVS, *luxuriosissimus.*

ALEXANDER, *in Mammaeã matrẽ pig.*

MAXIMINVS Thrax, *opilio.*

\* Pupienus & Balbinus *mox trucidati.*

GORDIANVS, *Persarum victor.*

PHILIPPVS Arabs, *Christianis fautor.*

DECIVS, *persecutor Christianorum.*

\* Hostilianus & Æmilianus, *obscuri.*

VALERIANVS, *a Persis captus.*

GALLIENVS *ignavus.*

\* XXX. Tyranni, *a Vopisco descripti.*

Flav. CLAUDIVS, *victor Gothorum.*

AVRELIANVS *recuperator imperii.*

TACITVS, *sex mensium: & frater Florianus vix trium mensium.*

PROBVS, *moribus & rebus gestis probus.*

CARVS *fulmine deletus in Persia.*

DIOCLETIANVS & MAXIMIANVS, *deponunt imperium.*

CONSTANTIYS Chlorus, & GALER.

Tab. IV.



Tab. IV. Imperatorum Rom.

*Seculo IV.*

CONSTANTINVS *meritis in*  
*Ecclesiam* MAGNVS.

ORIENTIS | OCCIDENTIS  
CONSTANTIUS | CONSTANS.

*Arianus.*

JULIANVS *Apostata.*

JOVIANVS, *Persis cedens.*

VALENS. | VALENTINIANVS.  
| \* GRATIANVS &  
VALENTINIA-  
NVS II.

THEODOSIVS.

ARCADIUS | HONORIVS, Ro-  
| *mam deserit.*

\* Epitome Victoris num. 72. Gratianus im-  
perabit cum patre Valentiniano annos octo,  
dies octoginta quinque: cum patruo & fratre  
tres: cum eodem fratre ac Theodosio qua-  
tuor: & his omnibus accedente Arcadio menses  
sex.

Tab. V.



Tab. V. Imperatorum Rom.

Seculo V.

O R I E N T.

O C C I D E N T.

THEODOSIUS II.  
43. annor.

V A L E N T I N I A -  
N V S III. *Africam  
amittit.*

MARCIANUS ,  
*Synodum Chalced.  
convocat.*

Maximus ,  
Avitus .

LEO Magnus , 17.  
*annor.*

Majorianus ,  
Anthemius ,  
Olybrius ,  
Glycerius ,  
Julianus Nepos ,  
Orestes ,  
Momyllus

*obscuri omnes.*

ZENO Isauricus ,  
*sepelitur vivus.*

ANASTASIUS  
Dicorus , *Eutychi-  
anus.*

AUGV-  
STVLVS. J

GOTHI *in Italia  
regnare incipiunt.*

Tab. VI.



Tab. VI. Imperator. Constant.

*Secul. VI.*

JUSTINVS Thrax.

JUSTINIANVS legislator, & Gotho-  
*rum per Belisarium victor. 38. ann.*

JUSTINVS II. *Italiam iterum amit-  
tit invadentibus Langobardis.*

TIBERIVS II.

MAVRITIVS *avaritia & suppliciis  
infelix.*

Tab. VII. Imperat. Constant.

*Secul. VII.*

PHOCAS *Papæ Rom. fautor.*

HERACLIVS, *bellum gerit cum Cosroe  
II. Persa. Zonar.*

Constantinus, *fil. Heraclii, 4. mens. &  
noverca Martina 6. mens.*

CONSTANS, *nepos Heraclii, victus  
a Saracenis.*

CONSTANTINVS Pogonatus, *victor  
Saracenorum.*

JUSTINIANVS II. *πρωθυμνος & subla-  
tis æmulis Leontio & Tiberio III.  
restitutus.*

Tab. VIII.



Tab. VIII. Imperatorum Constantinopolitanorum.

*Secul. VIII.*

PHILIPPICUS Bardanes.

\* *Anticæsaes Artemius seu Anastasius II. & Theodosius.*

LEO, Conon, *Isaurus.*

CONSTANTINVS Copronymus, 34. annor. } *iconomachi.*

LEO IV. fil. Copronymi. }

IRENE Leonis vidua *εικονολατρεύουσα.*

Tab. IX. Imperatorum Constantinopolitanorum.

*Secul. IX.*

NICEPHORVS

MICHAEL Rangabe } *Carolo M. cedunt Occidentem.*

LEO Armenius, *iconomachus.*

MICHAEL Balbus, *semijudæus, Zonar.*

THEOPHILVS, *iconomachus.*

THEODORA *cum fil. Michaele III.*

BASILIVS Macedo, *viCTOR Saraceno- rum.*

LEO Philosophus, *doctus.*

Tab. X,



Tab. X. Imperatorum Constantinopolitanorum.

*Secul. X.*

ALEXANDER *frater Leonis,*  
*ann. 1.*

CONSTANTINVS IIX. *fil. Leonis.*  
ROMANVS' Lacapenus.

ROMANVS puer, *luxuriosus.*

NICEPHORVS Phocas, *Saracenorum*  
*victor.*

JOANNES TZIMISCA, *terror barbarorum.*

BASILIVS Porphyrogennetus, *cum*  
*fratre : Bulgarorum*  
*victor.*

Tab. XI.



Tab. XI. Imperatorum Con-  
stantinopolitanorum.

*Secul. XI.*

CONSTANTINVS, *frater Basilii, solus.*  
ROMANVS Argyropolus, *victus ab*  
*Agarenis.*

MICHAEL IV. Paphlago, *fit monachus.*  
MICHAEL V. Calaphates, *a Theodora*  
*subrutus.*

CONSTANTINVS Monomachus, X.  
THEODORA Augusta, *ante Mono-*  
*machum quoque cum sorore re-*  
*gnans.*

MICHAEL VI. Stratioticus.

ISAACIVS Comnenus, *in Vngros mo-*  
*vet & Pazinacas.*

CONSTANTINVS Ducas, *ignavus.*  
ROMANVS Diogenes, *captus a Turcis*  
*& dimissus.*

MICHAEL VII. Ducæ fil. *a Turcis pre-*  
*mitur.*

NICEPHORVS Botoniates, *pulsus a*  
*Comnenis.*

ALEXIVS Comnenus. *37. annorum im-*  
*perator, & sic in sequenti quo-*  
*que seculo regnans.*

F

Tab. XII.



Tab. XII. Imperat. Constant.

Secul. XII.

JOANNES Comnenus victor Hunno-  
rum & Scytharum.

EMANVEL Comnenus

ANDRONICVS Co-

mnenus, pupillo Ale-  
xio necato.

ISAACIVS Angelus.

} perfidi in sa-  
cram mili-  
tiam.

ALEXIVS Ducas, tyrannus, a Venetis  
ejectus.

Tab. XIII. Imperat. Constant.

Seculo XIII.

ALEXIVS puer, restitutus a Venetis cum  
patre Isaacio Angelo excacato.

ALEXIVS Murzufus interfector pueri  
Alexii.

BALDVINVS comes Flandrie.

HENRICVS frater Balduini.

PETRVS comes Altisiodorensis.

ROBERTVS.

BALDVINVS II.

MICHAEL Palæologus.

ANDRONICVS I. Palæologus.

} Latini,  
ann. 58.

\* Latinis opponuntur Niceæ Lascarini, Theo-  
dorus, Joannes, Theodorus II. quem Micha-  
el Palæologus excepit.

Tab. XIV.



Tab. XIV. Imperat. Constant.

*Secul. XIV.*

ANDRONICVS II. *primi nepos, Palæologus.*

CANTACVZENVVS *tutor Joannis Palæologi, sed pupillo præripiens imperium.*

JOANNES *Andronici II. filius, Cantacuzenum tutorē in monasteriū detrudit.*

ANDRONICVS III. *patrem Joannem pellit ope Bajazetis.*

Tab. XV. Imperat. Constant.

*Secul. XV.*

\* EMANVEL *frater Andronici III. nomine Augustus, re Turcorum tributarius.*

JOANNES *Palæologus, Emanuelis fil. Florentino concilio interest.*

CONSTANTINUS *Palæologus, Joannis fil. 1453. tertio imperii anno Constantinopolim & vitam amittit ingenti rei Christiane damno.*

\* *Ducas Histor. Byzant. cap. 14. Emanuelis imperium dividit, & Joannem, Andronici fratris filium, interponit a Bajazete constitutum. Sed Joannem à patre in Italiam discedente rebus præfectum esse, non imperatorem à Turcis datum, Laonicus l. 2. f. 44. & Phranzes l. 1. c. 20. docent. Adde Bullialdi notas in Ducam f. 229.*

F 2

Tab. XVI.



Tab. XVI. Regum Parthorum  
seu Arsacidarum.

ARSACES a Callinico deficiens, Justin.  
41. 4. 3. adde not. Berneggeri.

ARSACES fil. Justin. 41. 5. 7.

PRIAPATIVS vel Pampatius, *ibid.* §. 8.

PHRAATES, Mardorum domitor, *ibid.*

MITHRIDATES, frater Phraatis, *ibid.*

PHRAATES II. fil. Mithridatis, Justin.

42. 1. cum Pompejo de senibus con-  
tendit, Plutarch. in Pompej. c. 10.

ARTABANVS patruus antecessoris.

Just. 42. 2. 1.

MITHRIDATES II. seu Magnus, *ibid.*

regno ejectus ab Orode fratre Ap-  
pian. Parth. init.

ORODES Crassi victor, Vell. Paterc. 2.

46.

PACORVS (etiam hic rex vocatur, Ta-

cit. Hist. 5. 9. Oros. 6. 16. quamvis a

Ventidio casus vivo adhuc parente,

Appian. f. 104.)

PHRAATES III. alter filius Orodis, An-

tonii victor, Vellej. 2. 51. Augusto

obsides dat, & vexilla Crassi resti-

tuit, Strabo 6. fin.

AR-



ARTABANVS II. Tacit. Annal. 6.31.1.  
*regno exutus 6. 36.*

TIRIDATES a Romanis datus, Tac. 6.  
37.1.

GOTARZES Artabani frater, emulum  
Bardanem subruit, Tac. 11. 8. seqq.

VOLOGESVS I. tempore Claudii &  
Neronis, Tac. 12. 44. 2.

\* Num filius Vardanes, patris emulus  
(Tac. 13. 7. 3. an alius successerit,  
non liquet.

PACORVS II. Trajani tempore; Plin.  
lib. 10. epist. 16.

OSROES Pacori frater a Trajano suba-  
ctus, Dionis fragm. c. Theodos.  
lib. 68.

PARTHAMASPATES a Trajano datus,  
Xiphilin. lib. 68.

VOLOGESVS II. tempore Adriani, Xi-  
phil. 69. postea victus a L. Vero  
Imperatore Rom. Oros. 7. 9. Au-  
rel. Victor. 16.

ARTABANVS III. Severi tempore,  
Herodian. 3. 9. deceptus a Ca-  
racalla, idem 4. 11. a Persis ex-  
utus regno, idem 6. 2.

F 3

Tab. XVII.



Tab. XVII. Regni Persarum  
restaurati.

ARTAXERXES *Partbis imperium eri-  
pit sub Alexandro Mammæe fil. He-  
rodian. 6. 2. (Agathiaë lib. 4. f.  
134. Artaxares.)*

SAPORES *imperatorem Valerianum  
capit & excoriat, Victor. n. 32.*

HORMISDATES *unius anni rex. A-  
gath. c. 1.*

VARARANES { pater  
filius } Agath. c. 1.  
nepos }

NARSES *Diocletiani tempore, Eutrop.  
9. 118.*

HORMISDATES II. *(Zonara T. 3. f. 11.  
Adanarfes)*

SAPORES II. *rex, antequam nascere-  
tur, corona ventri matris imposi-  
ta, Agathias. Bellum gerit cum  
Constantio & Juliano: iniquam  
pacem Joviano extorquet. Am-  
mian.*

ARTAXERXES II. *frater Saporis. A-  
gath.*

SAPORES III. *fil. Artaxerxis. Agath.*

VARA-



VARARANES IV. *fil. Saporis. Agath.*  
ISDIGERDES *pacificus, amicus Arcadio,* Procop. lib. 1. Pers.

VARARANES V. *persecutor Christianorum* Socrat. 7. 18.

ISDIGERDES II. *rex 17. ann.* Agath.

PEROZES *ab Hunnis cum exercitu caesus.* Agath.

OBALAS *frater Perozis.*

CABADES *Justini Thracis tempore*  
Procop. Pers. 1.

CHOSROES Magnus, *bellum cum Justiniano M. gerit,* ibid. lib. 2.

HORMISDAI. *a suis interfectus.* Zonar.  
in Mauritio. Theophylactus 3. 16.

CHOSROES II. *parricida,* Zonar c. 1.  
Theophylact. 4. 7.

SIROES *Chosroes fil. tempore Heraclii*  
Cedren. f. 345.

\* Adefser, Barazas &c. *paucorum mensium reges,* ibid.

HORMISDA II. *a Saracenis exutus regno,* Cedren. c. 1. *sed Jezdegerdem rectius dici Tarich Schickardi p. 170. docet, Succeedunt Saraceni.*



Tab. XIIX.

Chaliphatus Saracenorum.

MOHAMMED *pseudopropheta, Seculo VII.*

ABVBACHER, Cedren. in Heraclio.

OMAR *victor Jezdigerdis, ultimi Persarum regis, & Syriam, Jerusalem, Ægyptum subjicit, Cedren. c. 1.*

MABIAS (*al. Osman*) *Cyprum, Rhodum, Africam invadit, Constantinopolin oppugnat, Cedr. & Zonar.*

ALI *sectarius, JEZID & alii βεγαυοί interponuntur.*

ABDIMELECH *victor Rbinotmeti fedifragi. Cedr.*

VLID. *Saraceni Hispaniam ex Africa tentant. Paul. Diac. l. 6. c. 46.*

SOLIMAN *Byzantium obsidet, Cedr. In Hispania Gothi pelluntur.*

OMAR II. *persecutor Christianorum, Byzantium classe terret. Cedr.*

JEZID. II. *Cedr. in Leone Isauro.*

EVELID *Niceam frustra obsidet, Cedr. Nunc Saraceni Hispani in Gallis à Carolo Martello funduntur, P. Diac. 6. 54.*

ISAM,



ISAM, WALID & JEZID III. Βεαχι-  
χεγροι. Cedr.

MARVAM ad Cyprum vincitur à Co-  
pronimo. Cedr.

ABVBALA Mohammed.

ABEDALA Bagdad condidisse fertur.

MADI ab Irene victus in Cilicia.

AARON Cappadociam & Phrygiam  
vastat, Cedr. amicus Carolo M.  
Eginhart.

IMIN.

MOHAMMED sedem regiam Damasco  
transfert Bagdadum. Nunc discor-  
dia scinduntur Saraceni.



Tab. XIX. Regni Saracenorum divisi.

Syri <i>in Bagdad.</i>	Ægyptii <i>in Cairo</i>	Africani	Hispani
<p>Mohammed, <i>vid. Tab. XIII.</i>                      Impraël.                      Mohammed, <i>fil. Impraëlis, regno exutus à Turcis. Zonar. f. 203.</i></p>	<p><i>e quibus Saladinus in bello sacro infestus. Christianis. Succedunt Mamlucci à Turcis 1518. deiciendi.</i></p>	<p><i>in Carveno, &amp; post in Marocco, Tunis, &amp;c. Hi Siciliam &amp; Calabriam occupant à Normanis depellendi.</i></p>	<p><i>e Mauritania seculo IX. &amp; gravius seculo XII. irrumpentes. Sed sensim à Christianis attriti &amp; tandem ejecti.</i></p>
			<p>Tab. XX.</p>





Tab. XX. Sultanorum antiquorum  
de victis Saracenis.

Nicenus.  
Primus & ultimus  
Soliman Sa vi-  
ctus in bello Sacro  
& Bulionis.

Iconiensis.  
Insidiis vicit Conra-  
dum III. in bello  
S. & Gallie re-  
gem. \*

Damascen<sup>9</sup>.  
Doldequin.  
Norahading<sup>9</sup>.  
Succedit Sa-  
ladinus  
Ægyptius &c.

Aleppinus.  
Musulanus  
seu Nini-  
vitanus  
&c.

\* Iconiensis ultimus *Azatines* a Scythis pulsus ad Michaelē Palæologum profugit, nec frater  
*Melecus* recuperare potuit regnum. *Niceph. Gregoras lib. 4. & 5.* Dividunt id inter se princi-  
pes, e quibus est *Osman* sive *Otman*, fundator Portæ Otomanicæ, *idem in it. lib. 7. & Ducas*  
*cap. 2. Hist. Byz.*

Tab. XXI.



Tab. XXI.

Regum Ostro-Gothorum in Italia.

**THEVDERICHVS** a Zenone in Itali-  
am missus, rebus praefuit 37. annos, vi-  
ctor Odoacri, qui Augustulum eiecerat.  
Procop. 1. Goth. init.

**AMALASVNTA** Theuderichi filia, tu-  
telam gerens, Athalarichi filii sui  
tempore Justiniani.

**THEVDATVS**, sub quo capitur a Beli-  
sario Neapolis. Procop. Grotii p.  
168. seq.

**WITIGIS**, duxit filiam Amalafunte,  
Romam obsedit: a Belisario victus  
& captus. Procop. 2.

**ILDIBALDVS** a suis interfectus. Pro-  
cop. lib. 3. init.

**ERARICHVS** quinque mensibus re-  
gnans. ibid. p. 309.

**TOTILAS** Ildibaldi ex fratre nepos, Ro-  
mam capit, moenia diruit, vincitur  
a Narsete.

**TEIAS** in locum Totilae cooptatus: victus à  
Narsete, & sic desit Gothorum in  
Italia regnum, Procop. 4. fin.

Tab. XXII.



Tab. XXII.

Visigothorum, *id est*, Westrogothorum, qui in Rom. historia celebres sunt.

ATHANARICVS *sub Valente, primus sue gentis rex, in Thracia bella gerens,*  
Isidorus Era 407. &c. Ammian. 27.

ALARICVS *Romam capit sub Honorio,*  
& *Attalum Rom. imperatorē cōstituit,*  
*ac iterum propter ignaviā dejicit.* Procop. i. Vandal. init. Isidorus Era 447.

ATHAVLEVS *quinque annos in Italia regnat Honorii tempore, Placidiam Theodosii filiam captivam uxorem ducit. Post in Galliam cum suis abit, & inde in Hispaniam Vandalis in Africam transfretantibus vacuefactam moturus moritur in itinere.*  
Isidor. Era 448.

WALLIA *reliquias Vandalorum Boetica ejicit, Romanis amicus, a quibus Aquitaniam quoque accipit.* Era 454.

THEODORIDES *Romanis provinciis infestus.* Isidor. Era 457.

\* Reliquam in Hispania Gothorum successiōnem habet Isidori Hispalensis Chronicon, & Grotius in præfatione Histor. Vandalogoth.



Tab. XXIII.

Regum Vandalicorum in Africa.

1. **GODIGISCLVS** *Hispaniam invadit consentiente Honorio, Procop. I. Vandal. p. 9. edit. Grot.*
2. **GIZERICHUS** *fil. nothus Godigiscli, cum fratre Gonthari sub Valentiniano III. in Africam ex Hispania trajicit. Romam capit sub Maximo tyranno. Procop.*
3. **HONORICHUS** *filius Gizerichi Arianus, orthodoxorum persecutor. Procop. Grot. p. 24.*
4. **GVNDAMVNDVS** *Gizerichi nepos, iniquus in orthodoxos, 12. ann. regnat. Procop. c. 1.*
5. **TRASAMVNDVS** *frater Gundamundi, Anastasio amicus, Procop. I. Vandal. regnavit annos 27.*

6. HIL-



6. HILDERICHUS Honorichi fili-  
us ex Valentiniani imperatoris  
filia, amicus Justiniano, vi-  
ctus ab Afris, & rerum geren-  
darum ignarus.

7. GELIMER Gizerichi pronepos,  
in quo desit Vandalorum in  
Africa post annos ferme cen-  
tum dominatus, postquam a  
Justiniano ductu Belisarii vi-  
ctus fuit. Procop. 2. Vand.

Tab. XXIV.



Tab. XXIV.

Langobardorum in Italia Regum.

1. ALBOIN a Narsete advocatus ex Pannonia sub Justino II. Paul. Diac. Langob. lib. 2. cap. 7.
2. CLEPH, Diacon. 2. 31.
3. AUTHARI fil. Clephonis, Mauritio coævus, 3. 16.
4. AGILULFVS 25. annos regnavit, a regina vidua electus, P. Diac. 3. 36.
5. ADOLOALDUS, Phoca tempore, 4. 31.
6. ARIOALDUS, Heraclii ævo, idem Diac. 4. 43.
7. ROTHARVS, poliorceta, 4. 44. & 47. annor. 16.
8. RODOALDVS, idem 4. 49. annor. 5.
9. ARIBERTVS idem 4. 53. annor. 19.
10. BERTARIDVS fil. Ariberti, ibid.

II. GRI-



11. GRIMOALDVS, *Victor Fran-*  
*corum. 5. c. 1. seqq.*
- \* *Bertaridus redit ex exilio. 5. 33.*
12. CUNIBERTVS *tempore Justi-*  
*niani II. 5. 37.*
13. LIVTBERTVS *fil. Cuniberti.*  
*P. Diac. 6. 17.*
14. RAGVNBERTVS, 6. 18.
15. ARIBERTVS. 6. 19. *Alpes Cot-*  
*tias Papa restituit, c. 28.*
16. ANSPRANDVS *Anastasi II.*  
*tempore, 6. 35.*
17. LIVTPRANDVS *Leonis III.*  
*tempore, 6. 38.*
18. RATCHIS, ( *7. mensium Hil-*  
*debrandum premitit. Sigoni-*  
*us Regn. Ital. lib. 3. ]*
19. AISTVLFVS *Exarchatum tol-*  
*lit. Sigon c. 1. f. 75.*
20. DESIDERIVS *a Carolo M.*  
*victus : Eginhartus in vita*  
*Caroli M.*

Tab. XXV.



Tab. XXV.

Conciliorum Oecumenicorum.

\* Post Apostolicum Act. 15. fuit

1. Nicenum sub Constantino M. contra Arium.

2. Constantinopolitanum sub Theodosio M. contra Macedonium  
πνευματῶμαχον.

3. Ephesinum, sub Theodosio II. contra Nestorium.

4 Chalcedonense sub Marciano contra Eutychem.

5. Constantinopolitanum II. sub Justiniano M. contra Origenis dogmata, &c.

6. Constantinopolitanum III. sub Constantino Pogonato contra Monotheletas.

\* Trullanum (in Trullo palatii habitum) seu Quinisextum sub Justiniano II. quin-



to & sexto concilio cano-  
nes addens. Gratian. di-  
stinct. 16.

\* Constantinopolitanum IV.  
sub Constantino Copronymo,  
usum imaginum damnans,  
Cedrenus p. 381.

7. Nicenum II. sub Irene Augusta  
pro imaginibus adorandis, quod  
Oecumenicum VII. falso vo-  
cant, abrogatum in Francofur-  
tensi Synodo sub Carolo M. Abb.  
Vrspergens. in Chron.

Tab. XXVI.



## Tabula XXVI.

### Persecutionum Ecclesiæ gravio- rum.

1. Neronis.
2. Domitiani.
3. Trajani.
4. M. Philosophi , & L. Veri, *in  
Asia & Gallia.*
5. Severi *in Africa & Ægypto.*
6. Maximini Thracis.
7. Decii.
8. Valeriani.
9. Aureliani.
10. Diocletiani & Maximiani Her-  
culii, *illius in Oriente , hujus  
in Occidente.*

\* De singulis consulatur Eusebius  
& Orosius.

Au-



**A** Vctores in Notis vel Tabulis  
citatos, qui editionibus, aut Ca-  
pitum incisus & distinctionibus va-  
riant, hic solos recensemus: reli-  
quos, qui omnium manibus ver-  
santur, aut cognitæ sunt incisionis,  
silentio præterimus. Sunt vero illi:

Agathias Scholasticus *Græc. Lat.*  
*Paris. 1660.*

Ammianus Marcellinus *Lindebro-*  
*gii 1609.*

Appianus Alexandrinus *Græc. Paris.*  
*1551.*

Augustæ historiæ VI. Scriptores,  
*edit. Schævelii.*

Aurelius Victor, uterque, *cum notis*  
*Variorum 1670.*

Cedrenus *Græc. Lat. Basel 1566.*

Dion Cassius *Gr. Lat. Stephani 1592.*

Ducæ Histor. Byzantina *Gr. Lat.*  
*Paris. 1649.*

Eusebius *Gr. Lat. Valesii, Mogunt.*

Eutropius, *Helmstad. in paragra-*  
*phos incisus.*

Hic-



Hieronymi Opera, Colonia 1616.

Jornandis Getica, Grotii.

Josephus Græc. Lat. Genev. 1611.

Laonicus Chalcocondyles Gr. Lat.  
Paris. 1650.

Nicephorus Gregoras Gr. Lat. Ge-  
nev. 1615.

Nicetas Choniata Gr. Lat. Genev.  
in 4.

Paulus Diaconus de Langob. }  
Procopii Vandal. & Gothica } Grotii.

Tertullianus, Basel 1562.

Theophylacti Simocattæ Histor.  
Gr. Lat. Paris. 1647.

Zonaras Græco-Lat. Basel 1557.

De ceteris non est, quod quicquam  
moneamus, nisi quod sub finem seculi  
VII. citavimus *Balsam.* ex aliena, Mor-  
næi scilicet, fide, tunc temporis ipso  
Balsamonis codice destituti. Nunc fer-  
vente prelo illustrissima, quæ Cizæ est,  
MAURITIANA Bibliotheca *Canones  
Conciliarum Græcorum cum Balsamonis  
& Zonara interpretationibus* a Bevere-  
gio Oxonii 1672. nitidissime editos sup-  
pedi-



peditavit. In quo egregio opere prolo-  
quium ad Canones Concilii VI. in  
Trullo, hæc Balsamonis verba Tom. i.  
f. 154. habet: *Quia quinta & sexta syn-  
odus Oecumenica non fecerunt canones*  
*ἐς κατὰ μέρος τῶν ἐκκλησιῶν* (Gratia-  
nus *distinct. 16. ad correctionem Ecclesie*)  
*habita fuit hæc synodus (Quinisexta) eis*  
*ἀναπλήρωσιν τῶν δύο, in utriusque com-  
plementum. Propterea nec proprie Sexta*  
*vocatur, ἀλλὰ πενθέκτη. Ἀνεπλήρωσε*  
*γὰρ τὸ ὑσέρημα τῆς τε πέμπτης καὶ τῆς*  
*ἕκτης συνόδου ἔστι καὶ οἰκουμενική. Ad-*  
*dit idem, quod Itali & Latini Episcopi*  
*his canonibus sint κακῶς πληττόμενοι,*  
*opportune castigati, quæ causa est, quod*  
Baronio Tom. 8. ad ann. 692. minus  
probenitur tum Canones, tum  
explicator Balsamo.


F I N I S.




Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.













50 A 9/d, 33

ULB Halle


005 559 561




3

W 009









CHRISTOPHORI CELLARI  
SMALCALDIENSIS  
NUCLEUS  
HISTORIAE

*inter*

*Antiquam & Novam*  
**MEDIAE,**

*Hoc est,*

Ab Augusto Cæsare ad  
Carolus M. in Occidente: & ad  
captam a Turcis Constantino-

polim in Oriente

productæ,

*Cum*

*Notis perpetuis*

*&*

*Tabulis Synopticis.*

JENÆ,

Impensis JOHANNIS BIELCKII Bibliop.

Excudebat SAMUEL Krebs!

ANNO M DC LXXVI.